

PALAESTRA

LATINA



ANN XXXV (Fasc. IV) – N. 192
M. DECEMBRI – A. MCMLXV

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^a Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: PP. Claretianos - ALAGON (Zaragoza)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXV (Fasc. IV) N. 192

M. DECEMBRI A. MCMLXV

V. ANGELINO, « <i>Age dic latinum, barbite, carmen</i> »	145
J. M. MIR, C. M. F., <i>Nova et Vetera: Collegium nostrum inspicite, pueril</i>	154
J. MARINELLI, <i>Paulo P. P. VI legatorum de pace Principi</i>	159
A. ALBERTINI, <i>Iter Siciliense</i>	165
J. ARAMENDIA, C. M. F., <i>Per Orbem</i>	175
P. C. E., <i>In Memoriam</i>	179
BIBLIOGRAPHIA, <i>Caelestis, Aramendia, Aspa, Mir</i>	180
RISUM TENEATIS	189
Aguirre, <i>De Natalis Domini musica</i> .	
Climent, <i>Certamen singulare</i> .	
Barat, <i>Apollo et Mercurius</i> .	
Imhoof, « <i>Telis argenteis adorire</i> ».	
Bello, <i>Pisonis crudelitas</i> .	
Ruiz, Gálvez, Sartor, Díez, <i>Facetiae</i> .	
García, <i>Nomen celatum</i> .	
Aramendia, <i>Fronde nemus... (cantilena)</i> .	

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXV (FASC. IV) — N. 192

M. DECEMBRI

A. MCMLXV

AGEGONICUM LATINUM, BARBITE, CARMEN

*Opusculum in recenti Certamine Capitolino
«honorifica laude» ornatum.*

Desierant tandem civilia bella, quibus Romani cives, insano flagrantibus furore, universae fere terrae regiones atque maria sanguine suo polluerant, velut si fata eos ad antiquae necis fraternae poenam pendendam egissent.

Augustus autem, cum omnem in manus suas redeisset potestatem, pacem per totum orbem firmaverat Romanque maximam rerum reddiderat non modo armorum exercituumque vi sed et legum sapientia cultuque antiquarum virtutum rituumque.

Quandoquidem vero jam pax atque ordo in Urbe et in pacato orbe vigeabant acerrimaeque odia, a civilibus excitata bellis, sensim restinguebantur, peropportunum principi visum est amplissimo splendidoque apparatu sacrum sollemne tandem celebrari, quo Superis debitae persolverentur gratiae atque animorum conciliatio inter cives artior integriorque fieret.

At potius quam novos instituere ritus, malebat Augustus vetustos iterum ad honorem adducere, quocirca consilium cepit antiquissimum renovandi sacrum quod pie sancteque fieri Libri Sibyllini Romanos monebant quotiens centum et decem annorum circuitus compleretur.

Divi ergo Augusti auctoritate indictum est ut ludi qui saeculares dicebantur, primis Junii mensis diebus, cujuscumque ordinis civium concursu, magnifica agerentur pompa, anno DCCXXXVII ab Urbe condita, decem annis transactis postquam titulum Augusti ingenti plausu ei tribuerat Senatus.

Cum autem, ritibus perfectis precibusque dis oblatis, hymnus quoque esset canendus illis praesertim numinibus quibus septem placuerant colles, non

modo ad grates eis expromendas quod Romae imperium latissimum dedissent sed etiam ad exorandum ut, illis in perpetuum faventibus, Roma pulcherrima rerum esset permansura, voluit ut Horatio poetae munus carminis perficiendi deferretur.

Dubitari vero non potest quin, si pepercissent inexoratae Vergilio Parcae neque eum ante duos annos dulcibus rapuissent luminis oris, gloriosissimum munus ei esset attributum, at Aeneae praeco, vehementi consumptus febris, jam Campos ad Elysios descenderat seque ad fraternas Tibulli Catulli Lucretii umbras adjunxerat.

Ad Horatium ergo animum convertit Augustus, ad vatem qui primis libri tertii carminibus ostenderat non modo se virginum proelia jucundique munera Lyaei jocosis canere fidibus posse sed etiam graviore plectro egregia Romulae gentis facinora virtutesque majorum egregias.

Principi igitur roganti recusare Horatius non est ausus, etsi dubitavit utpote plane intellegens arduum magnique esse ponderis quod sibi sumebat officium; in ejusmodi enim carmine non tantum eximia orandus erat laude deorum hominumque Pater, qui Romae in orbis terrarum gentes imperium suo comparaverat praesidio, non modo arcana illa numina flagitanda quae vitae mortique praesunt, Parcae Ilithyiaeque Tellusque, non modo, et praesertim, Phoebus Augur canendus, quem princeps singularem suum patronum tutoremque elegerat, cui templum voverat miraque opulencia in Palatino extruxerat colle, sed etiam, una cum dis, ipse Augustus erat opportune atque ingeniose pangendus, quippe qui rebus imperii ruentibus eversoque saeculo succurrisset, pacem tandem gentibus suppeditans defatigatis.

Lente carmen more suo elaboravit Horatius, acerrime omnia perpendens neque ullum praetermittens versum quin antea illum apte atque numerose currere et adaequate exprimere quae mens fingeret excitata sensisset.

Cum autem, omnibus ad unguem castigatis diutinoque limae labore carmen perfectum absolutumque se expedivisse intellexit, acri tacitoque gaudio est vates arreptus, intenteque legens delibansque versus, dilucide sensit se utique expromere valuisse sensus adfectusque qui inconditi atque confusi in Romanorum civium animis illis sacris sollemnibus agitentur diebus.

Ecce autem coram oculis Horatii carmen strophis suis distributum, concinne fluens atque modulate. Oportebat vero ut apte sociaretur numeris qui vim et versuum leporem augerent ditarentque, quos numeros vati assidue citharam pollice icienti descendens coelo ipsa insusurravit graves atque canoros Calliope.

Cum porro magni propinquarent dies, decuit ut festinanter puerorum puellarumque seligeretur chorus et ad praelusiones vocaretur. Quis autem laetitiam poetae depingat dum domi suae, flore Romanae cinctus adulescentiae, enixe contendit ut hymnum suum juvenalem alacremque doceat turbam illamque audit liquida ac magis magisque securo voce strophas concinentem?

Tandem Maji mensis extremi diei sol illuxerat atque coelum lento praetergressus gradu in Occidentis regiones defecerat. Cum autem nox descendisset, innumeris facibus tenebras rumpentibus, in quadam Campi Martii regione, cui nomen Tarentum, ubi Tiberis intra proximiores ripas defluit incitator, ipse Augustus novem furvas agnas totidemque numero capras mactavit Parcisi, quae mortalium fati secreta incommutabilique mente praesident; subsequenti autem nocte liba, popanaque obtulit idem Augustus Ilithyiais, quae numina unumquemque hominum ad dies luminis comitantur oras; tertia demum nocte rursus princeps suam gravidam cecidit Telluri, quae omnes nutrit, fulcit gremioque suo condit.

At sacra sollempnia quae diurno acta sunt tempore, magnificentiore et splendidiore apparatu optavit ut factitarentur Augustus, utpote quae ad Romanorum vindices fautoresque deos laudibus extollendos pertinerent; primoque die in Capitolino colle bovem marem Jovi Optimo Maximo Augustus eique sociatus Agrippa immolare, bovemque feminam die mactare sequenti in Reginae Junonis honorem.

Haec autem omnia perficiens sacra, non intermisit princeps quin suppliciter exoraret ut di deaque imperium majestatemque populi Romani belli auferent domique, semperque latinum tuerentur nomen, incolumitatem sempiternamque victoriam Quiritibus tribuerent remque vimque populi Romani in perpetuum servarent.

Horatius et ipse, erectis auribus oculisque intentis, multitudini immixtus Quiritium, sacris interfuit omnibus, dum mens ejus magis magisque novis antiquisque affectibus carpitur atque a recondito quodam cordis recessu praetrepidum novi sensus sensim oboriuntur.

Ille qui audaci juvena Epicurique elatus doctrina deos securum degere praedicaverat aevum, nunc, rituum majestatem prospectans magnitudinemque intuens imperii, fateri impotenter cogebatur reapse numina quaedam summa pollentia potestate rem dirigere atque vigilare Romanam, neque fieri potuisse ut civiles humanioresque mores excultissimaque vitae instituta nec non tantam imperii Roma assequeretur molem nisi quaedam ingens atque arcana vis Quiritium populum suo subegisset consilio ejusque iter pedetemptim rexisset.

Ut sol tertii diei festi tandem refulsit, Horatius ex somno expergefactus, anxia sensit trepidantique mente se numquam in posterum die tam memorabili esse fruiturum.

Cum igitur in Palatinum montem magno turbae concursu circumfusus ascendisset, Augustum et Agrippam placentas geminis Latonae filiis offerentes prospexit eorumque preces audivit supplicationesque ut Phoebus Phoebique soror ad Palatinas pergerent aequae placideque conspicerent.

Ritu pie integreque perfecto, hora demum advenit qua Horatius suo munere fungeretur. Ad gradus accessit templi quod princeps asperis belli voverat

temporibus atque post actiacam pugnam splendide ditissimeque exstruendum curaverat: gradibus ordine stipatus insistens, ecce uterque puerorum puellarumque chorus paratus tacitusque. Citharam sinistra regens manu, a summo gradu poeta se ad exspectantem canentium globum convertit.

Vastum ubique silentium interim universam turbam arripuerat circumfusam.

Antequam vero chorum ad carmen induceret canendum, oculos Horatius erexit et rapide in orbem circumduxit: apud templi columnas, sacerdotum atque ministrorum caterva cinctos, Augustum conspexit et Agrippam corona redimitos, proximos autem Liviam uxorem filiosque adoptivos Tiberium Drusumque ac Maecenatem, simulque virorum consessum amplissimorum. Non longe ab illis, gravis atque speciosa adstabat, saeculi vivens imago, centum et decem matronarum cohors, quae Augusto sacrificanti adstiterat et oranti.

Undique circum, in immensum, frequentissima ac stipatissima multitudo, immobili silentique deprehensa quiete, in qua passim dispersos vultus quorundam prospexit amicorum poeta, comiter ei fidenterque arridentes: ecce Aristius, hilares argutosque oculos in eum attollens, ecce Pompeius Varus, omnium primus sodalium, quocum, die quodam remoto, Philippos fugamque senserat, ecce, clientibus comitatus, Torquatus, quem ne immortalia speraret vitaeque auderet carpere gaudia monuerat eundemque pluries secum jucundum convivam assumpserat; nonne autem ille Iccius, quocum ad Arabas proficiscente quondam in convivio lepide nugatus erat quippe qui se, meliora pollicitum, a philosopho in bellatorem repente mutavisset? cui proximus ecce Grosphus, et ipse a Sicilia Romam ad festos celebrandos dies progressus, quem aliquot ante annis, suas divitias suosque innumeros greges jactantem monuerat melius gratiusque in tenui re atque Musis amicis vivi posse.

Dum ita circum oculos inicit Horatius properanter, omnium oculos in se conversos intuens et animadvertens se universae Urbis involvi admiratione, repentino et vehementi animi motu est obrutus doluitque patrem optimum non illic adesse ut blande suaviterque gloria frueretur filii, quem puerum adolescentemque studiose foverat, spem in imo pectore alens illum quondam ad pennas nido extendendas majores valiturum.

At ritus instabat: pressis dulcibus frementibusque affectibus qui raptim animum ejus perculerant, se ad canentium coetum vertit vultusque juvenalem gratiam prae se ferentes perspexit et ora ad nutum suum parata; pollice fides feriit notamque qua cantum ordirentur obtulit atque capite adnuvit: repentinus ascendit concentus:

Phoebe silvarumque potens Diana,
lucidum caeli decus, o colendi
semper et culti, date quae precamur
tempore sacro...

Voces magis magisque fidentes fiunt atque canorae, verba etiam atque etiam liquida personant et, supra multitudinem leviter volantes, praetergrediuntur strophae quae utrumque Latonae filium collaudant rogantque Solem ne quid umquam Roma majus visere possit.

Subit modo levior et blandior chorus unus puellarum qui Phoeben invocat ut Romae novam florentemque augeat prolem; puerorum chorus inde subsequitur ad Parcas flagitandas veraces ut nova Romanis fata, quae priora vincant, largiantur, et ad Tellurem deprecandam quae greges frugesque alat opime.

Cessant breviter voces. Silentium eo ingentius se inter omnes diffuderat quo magis nitidi versus iidemque graves atque strophae tanta erga deos pietate suffusae, omnes tam vasti consessus animos ad se allexerant atque devinxerant.

Nutu autem Horatii, chorus voces iterum edit novique resonant versus:

Roma si vestrum est opus Iliaeque
litus etruscum tenere turmae...

In hanc partem acrius incubuerat poeta; illuc enim spectaverat ut in medio cantu praesentium mentibus non modo imago occurreret Aeneae qui, vi fatorum ineluctabili pulsus, ab ardenti Troja ad ora tiberina manum duxerat extorrem quae exiguum Romani imperii semen esset futura, sed et ei altera imago consociaretur Augusti qui idem imperium ad id molis magnificentiaeque adduxerat ut jam extremi orbis gentes submisae ab eo peterent responsa.

Cum vero liquidae puerorum puellarumque voces se attulerunt, clarum Anchisae Venerisque sanguinem canentes, usque bellantibus priorem, lenem autem jacentem in hostem, conspexit Horatius universi latissimi conventus oculos simul in Augustum se vertentes et vicissim Augustum ipsum lucentibus renidentibusque oculis vultum vergentem suum in poetam qui, obscuro natus liberto, ei versibus suis donum quam quod maximum obtulerat.

Iterum cantus paululum interquievit, indeque pueri suppliciter deum argenteo decorum arcu, puellaeque se junctim virginem Triviam deprecati, conjunctim spem suam expresserunt deos cunctos aures votis utrorumque amicas adplicasse.

Cum extremae chori evanissent voces, murmur quoddam longum et ingens per totam est pervagatum multitudinem intraque primores civium, sacerdotes ministrosque, religionem praesertim miratos poetae qui suo brevi eodemque amplissimo carmine firmiter persuasum se habere scite ostenderat jam inde a remotissima origine usque ad praesentia tempora res Romanas a dis ipsi assidue invigilatas atque continenter esse provectas.

At altera sacri pars imminebat, sollemnis ergo pompa, quam Augustus atque Agrippa centum et decem matronis comitati inchoabant, ad Capitolium gravi coepit ire majestate, ut ibi quoque, in arce summo hominum divorumque rectori dicata, versus atque numeri saecularis carminis resonarent.

Horatius adhuc ime fremens totusque in se ipso abditus, lentus perfecit iter, globo saeptus canentium qui poetam suum laetanter corona puerilis *ve-recundaeque venustatis* claudebant.

Cum autem ad fastigium perventum est collis, vocibus elatioribus et libe-riore impetu chorus carmen est modulatus: vice enim priore cum ex ingenti turbae silentio tum ex vultu poetae se hymnum animadverterant egregie concinuisse.

Multitudo autem si pacatioribus affectibus canentium audiit voces, non tamen minus intentas aures praebuit, quandoquidem strophae iterum perceptae alia, quae prius fugerant, patefecerunt recondita lumina leporesque.

Expleto carmine puerilibusque jam pressis vocibus, Horatius per mediam tacite subrepat turbam elabaturque solus; cupiebat enim secum ipse tandem manere ut vehementi illa suavique dulcedine perfrueretur secretus aliquantumque affectuum tumultum componeret.

Diu absque meta quo crura ferrent pervagavit, aestu frementi correptus, quasi somnians, per vias, per angiporta eo frequentiora quo magis turba, a ritibus jam peractis regrediens, ea pervadebat et constipabat.

Et dum cogitabundus poeta procedit, secum ipse eventus suae recogitans vitae quae illo memorabili die culmen vere inexpectatum praeclarumque attigerat, se audit repente compellari: “Valeas atque valeas, vates Horati”.

Ad nitidam illam vocem se convertit conspexitque unam ex choro puellam quae, matre comitata, ad eum ridenti vultu accedebat.

Ei subrisit Horatius: “Tu quoque valeas, docta humanissimaque puella. Vere nostrum uterque nulli alteri comparabilem hodie diem vixit praesentioque te quondam, jam nuptam, dies hos festos dulcibus enarrantem filiis, dicturam esse gloriantem: “Ipsa, vatis Horatii docilis modorum, carmen tempore sacro Noctilucae cecini Phoeboque”.

Cui contra puella: “Ideo multas tibi ago gratias siquidem gratissimum immortalique memoria servandum diem propter te transegi” iterumque ei leniter arridens, viam est prosecuta.

Lento jam pede nunc juxta Tiberim deambulat Horatius seque tandem super crepidinem inclinans, aliquantisper oculis in undis defixis moratur cogitatque: “Quot jam saecula, Tiberine pater, fluctus tuos contra saxeam impingis solidasque pontium pilas, quotque saecula jam cingit longoque te tractu comitatur haec ingens urbs et fatalis. Tu ipse, remotissimo quodam die, exulum turmam ad os tuum proras advertentem conspexisti, tectusque umbrosa harundine crines e medio flumine te in conspectum phrygio duci obtulisti eique circa ripas quondam urbem praenuntiasti caput suum erecturam esse celsissimum”.

Dum ita intentus secum ipse meditatur, ecce repente jocosa caterva eum stipat alloquiturque: “Summum quisque salutet poetam!” —ridentesque lateri

glomerantur Aristius, Livius, Ovidius, Pollio aliique nonnulli— “simul carmen tuum audivimus simulque tibi gratulari exoptamus”.

“Non ego mirabor —nugans orditur Aristius— Nostrum solitudine attrahi, planeque intellego horum multitudinem strepitumque dierum eum fastidisse intraque se jam pluries suspirasse “O rus, quando me habebis?”.

“Nec perperam coniecisti —hilaris respondet haud cunctatus poeta— illic enim beatissima quies, gratiores aerae, mollissimi apud rivi trepidantis murmura somni nec, si quidem lupos ipsos offendas, est quod ne aggrediantur ve-rearis”.

Tunc Pollio: “Tu quoque ergo praeda fuisti victoris, quique paucis ante annis atrocem celebrasti animum Catonis, hodie amplis laudibus “clarum Anchisae sanguinem extulisti”. “Cur stupes —iterum interpellat Aristius— nonne Maecenas Augustusque cycnum decisis pinnis Philippis redeuntem paternoque fundo privatum liberaliter foverunt grataque amicitia receperunt?”.

Ab omnibus jucunde ridetur, Livius autem ad Horatium conversus: “Sinus me tibi gratulari —ait— at simul parcas si quid audeam adnotare: censeo enim e re fuisse futurum si una cum dis Romam protegentibus cumque Aenea Augustoque, etsi carptim, heroas quoque magnanimos qui Romam magis magisque fortem atque metuendam reddiderunt, laudibus decoravisses. Num putas Romam hanc imperii molem fuisse adepturam nisi Brutus ille antiquus, Camillus, Fabricius, Regulus Scipionesque aliique innumeri exstitissent suaque egregia Urbi munera praebuissent?”.

Cui Horatius: “Recte cogitas tibi que assentior, at id quod cupis jam quibusdam meis peregi carminibus, quae quidem te audeo sperare legisse; an totus in transactis temporibus evolvendis, dum tuus antiquus fit animus, praesentia plene negligis et, Annalium libris fascinatus, nostra poetica volumina, quippe leviora, plane rejicis?”.

Ridetur iterum intervenitque jocans Ovidius: “Quorsum hic tam serius sermo? Scito, Romane excelsae fidicen, dum globum tuum canentium intente moderaris, me audientium immixtam turbae Lycem conspexisse, Coa purpura indutam pretiosisque exornatam lapidibus, suum ardentibus admirabundisque oculis poetam intuentem”. “Cynaram mallet —intra se suspirat Horatius— at breves annos Cynarae fata dederunt”, oculos postea tollens Propertium alloquitur: “Tu autem, Callimache, adhuc taces nec quid sentias de meo carmine patefacis?”.

Cui ille: “Mirabar te tandem Alcaeum tuum neglexisse qui jam confirmaveras praecipitem mari nomen suum daturum eum quicumque Pindarum imitari esset ausus, nunc hoc tuo saeculari carmine, deos resque Romanas canendo, te cycnum multa elatum aura coram Urbe prodisse, vere dignum qui Romanus Pindarus vocareris”.

“Quis vero vates genus inritabile audeat compellare —tunc faceta clamat gravitate Pollio— siquidem nostris hic auribus geminos audivimus poetas qui urbanissima se comitate prosequantur, se invicem Callimachum Pindarumque vocantes?”.

Atque ita diu prosequantur, argute alteri lucescentes, argute se alter defendens. Denique: “Jam discedatur! —concludit Aristius— Sinamus, est tandem tempus, sodales, ut suo fruatur poeta gaudio suoque, secum abditus, oblectetur triumpho”. Postea, vocem extollens, ad Horatium simulata majestate se vertit atque “O dilecte Camenis —exclamat— qui Romae unice praeclarissimaeque urbi hymnum egregie panxisti, nos, qui Romani sumus, tibi amplissimas persolvimus gratias”.

Sic facete allocutus poetam jucunde persalutat unaque ceteri omnes circumfuse manum ejus arripiunt eum valere atque salvere jubentes. “Meum quoque accipe vale —postremus addit Ovidius— caveas autem a Lyce” ridensque abscedit.

Secum unus restat Horatius taroque gradu domum contendit. Sol interea radians coelum perlabitur lenteque fulgentem curram ad occasum vergit, templorum fastigia incendens, innumeraeque turbae per vias perque compita obversanti rutilo lumine blandiens.

Ad eum tollit oculos poeta et dum menti ejus sponte versus occurrunt quos paulo antea puerilia expresserant ora, multa secum animo anxie volutat: “Quis ambigat te, candens coeli decus, tuum emetiens latissimum iter, nihil hodie Roma majus conspexisse? Durabit vero praepollens Urbis imperium magis atque magis sua jura nomenque suum usque ad extremas regiones extendentis, an potius Romanae progenies, virtutibus antiquis moribusque neglectis, interitum quondam imperiosae parabunt patriae? Si morti nos nostraque debentur, an Roma una poterit fatum omnibus imminens effugere omneque per aevum pro omnium oculis gentium dominatrix atque gubernatrix splendere?”

Cogitabundum vero sollicitumque poetam latebat arcano factorum decreto Romam majorem augustioramque gloriam in venientia saecula esse adepturam ex quo die a spreta remotaque Judaea inops despectusque piscator ejus moenia ingressus esset, germina novae in ea saturus doctrinae quae totum subversura esset atque sibi mundum conciliatura; cujus novi atque inauditi imperii Romam caput fore, novas dispergentem per Romanas antiquas vias, legiones non jam armis indutas micantibus sed nuntium proferentes mirandum quod hominum cuicumque novam libertatem oblaturum esset novamque dignitatem.

Meditanti poetae de Romae incerto fato ecce domus occurrit. Ingreditur tacitus Noster eique obviam fit Augusti servus. “Valeas, Horati —ita eum affatur— te exspectabam. Statim ut, post ritus peractos, ingressus est domum, princeps quaedam festinanter conscripsit mihique ut ad te ilico ferrem imperavit. Accipe legasque” eique porrigit epistolium.

Intentis oculis suspensusque animi legit Horatius:

“Si potui quondam blande tibi irasci quod, rogatus ut me in epistulis ad amicos scribendis adjuvares ad meamque accederes mensam, libere recusasti, ac si non semper aequo tui animo te in Carminibus de Maecenate tuo frequenter loqui, de me autem pudenter atque perraro, hodie verum nequeo temperare quin meum tibi gratum proferam animum tibi que plurimas offeram gratias qui tam intime tamque vehementer cor meum carmine percusseris tuo. Non ego tantum sed et Urbs universa te superbit teque Romanum sentit fidicinem unicum”.

Talia legenti mollissima serpit per animum dulcedo. “Huc ergo perveni — intra se insusurrat Horatius— ut te adjuvante Camena princeps moderatorque Romae Augustus me, in nidulo Apuliae ignobili ortum loco, laudibus efferat maximis dignumque praepotentis excelsaeque Romae vatem pronuntiet”.

Ad mensam tacens accedit tacentesque ei pueri ministrant; postremo lectulo incumbit dum circa tenebrae jam illabuntur gradatim. Somnus tamen moratur: nitidae enim illae voces saeculare carmen concinentes, in cor imum leniter perlapsae, intimos poetae submoverant sensus novasque imaginationes insuetasque cogitationes excitaverant, eum iterum ad lyrica revocantes carmina.

Jam abhinc aliquot annos versus et ludicra deposuerat seque totum tradiderat Horatius ad inquirendum verum atque decens quid essent et per Epistulas vitae praecepta sibi amicisque deprompserat seque eosque docuerat quibus modis aequum erectumque animum parent superbaeque responsarent Fortunae.

At nunc sopitam illam juvenilem Musam iterum exspergefieri percipit animadvertitque instinctum recalescere quo inflatus Carmina condiderat immurmuratque: “Iterum me revisitote, Camenae, sique mihi favebitis, tribus Carminum libris quartum addere conabor” eumque quaedam arripere atque apte intra se conserere nixantem ex cogitatis quae indistincta atque vix adumbrata per mentem raptim transgrediuntur, levis somnus sensim sine sensu obruit ejusque oculos molliter claudit.

VIDO ANGELINO

Humanarum Litterarum Professor

Via Wagner, 9 A

ALEXANDRIAE (in Italia)

NOVA ET VETERA

COLLEGIUM NOSTRUM INSPICITE, PUERI!

1. Hodie linguae latinae scholam sub dio agere constitui ut linguam latinam adhuc vigere et quodam modo florescere apud nos intellegatis; hujus igitur ludi litterarii specimen vobis trado ut summopere ad linguam latinam ediscendam semper contendatis.

Spero vos omnes animo adfuturos dum res singulas explico ac propria vocabula profero. Rem aggrediamur.

2. Extra scholam eximus, domum relinquimus. Ostio pessulum obdite.


Inspicite Collegium. Continet pede plana¹ ubi in fronte scholam^{'13}) (*) agimus; in contignatione² est conclave^{'12 3} in quo disciplinarum studio vocatis.

In alia autem aedificii parte sunt culina^{'16} et triclinium seu cenatio⁴; in prima contignatione sunt bibliotheca^{'9}) et cubicula Professorum^{'10}). In superiore vero tabulato² dormitorium^{'8}) et sacellum⁵ frequentatis. Domus, ut videtis, janua, foribus⁶, fenestris, scalis^{'11}) aliisque praedita est.

3. Sed nunc ad cavaedium⁷: ad dexteram sunt familiaricae⁸, officina lignaria^{9 '14}), animalium cohors¹⁰; illuc accedamus. Hic est canum cavea, qui, nocturno tempore latrantes, Collegium hortumque a furibus ingruentibus custodiunt; ibi est suile¹¹, ubi pauci saginantur porci; illic cella carbonaria¹², e qua coqui carbonem et ligna educunt quibus cibos coquant; carbone etiam hieme laconica¹³ aluntur. In superiore contignatione columbarium^{'15}) fuit. Paucae in ovili¹⁴ sunt oves, quae laetos agnos nutriunt, quorum carnem, agniam et ovinam, saepius editis.

4. Gallinarium^{'18}) inspicite: prostat magna casa cum loculis¹⁵ ad gignenda ova atque ad noctis perfugium; ornatur fenestra vitrea¹⁶ ut lux et sol, hiberno in primis tempore, facilius penetrent; nocte praeterea tota casula electride¹⁷ illustratur. At, cujusnam coloris sunt gallinae? —Varii, sed albi et nigri coloris plaris aestimantur, quod frequentiora pariant ova. Minimi pulli huc illuc cursitant pabula conquirentes; matre gallina¹⁸ orbatu sunt, quia e machina incubatoria¹⁹ prodierunt; nonnulli ad aquationem accedunt, alii pedibus terram scalpunt et rostro feriunt. At ne in hortum se proripiant pulli et gallinae — neve feles et canes, haud optimo consilio acti, in gallinarium incursent— saepto reticulato²⁰ continentur.

* His notis imaginis numeri signantur.



Pone gallinarium est cuniculorum²¹ familia. Adestel, nos conspexerunt: intentos oculos in nos defigunt: minimus ille pede terram percutit..., et in fugam se vertit; statim eum omnes insequuntur; in cubilia²² omnes confugerunt; nullus e tota familia apparet.

5. Progrediamur: ad laevam est lavatorium²³ seu officina et machina lavatoria, ubi lavandaria²⁴: interulae²⁵, subuculae²⁶, femoralia²⁷, pedulia²⁸, tibialia²⁹, cet. singulis hebdomadis lavantur; pone vero sunt rota aquaria³⁰ et dynamon³¹, quibus electricis domestica conficitur. Res tantum enumerare possumus, tempus enim aliud non suppetit.

6. Ad areas ¹⁷⁾ denuo accedamus: duas habetis in quibus et deambulatis et curritis et luditis pila e pariete repercussa ⁷⁾ ³², aut in duas factiones divisi pediludio³³ contenditis; saepe etiam vos, grallatores, grallis³⁴ inceditis, turbinem³⁵ agitatis aut trochum³⁶ clavi³⁷ volutatis. Aestivo vero tempore solem devitatis et ad umbram sedentes mentem ludicre agitatis cum domini ludo³⁸ indulgetis, calculorum³⁹ vel anseris ludo⁴⁰, castellorum expugnationi⁴¹, talis⁴², globulis⁴³... Ac bene agitis cum valetudini consulitis et ludo, ut enim Sophus olim meminerat

“cito rumpes arcum, semper si tensum habueris,
at si laxaris, cum voles, erit utilis.
Sic ludus animo debet aliquando dari
ad cogitandum melior ut redeat tibi” (PHAEDR., 3,14).

Toto igitur animo et contentione ludite cum fas est ut mens melior et expeditior ad litterarum studium iterandum “redeat vobis”...

7. Antequam vero hinc procedimus, ecclesiam, in quam fideles ad sacra congregantur, inspicite; desuper est turricula campanaria ²⁾ ⁴⁴ in qua quotannis ciconiae nidum ³⁾ ponunt; prominent fulminar⁴⁵ et ventorum index⁴⁶. Juxta ecclesiam sunt solarium⁴⁷ clatratum ¹⁾, cubicula ⁴⁾, valetudinarium ⁵⁾, sacra-rium ⁶⁾ ⁴⁸.

8. Sed jam ad floralia⁴⁹ animum et verba convertamus. Viridarium ²³⁾ ⁵⁰ ingrediamur. Quot flores iique venustissimil Vos flores magnopere amare intellego: optimi in vobis sunt viridarii cultores. Laurus in fronte est, maximo in honore apud Romanos habita, nam ramulis lauri omina capiebant: “Crepat in mediis laurus adusta focus”, inquit Ovidius; exstant in angulis palmae⁵¹ — quae certo palmas⁵¹ ad caelum tendere videntur—; his vero bellidibus⁵², liliis⁵³, violis⁵⁴ simulacrum Cordis Jesu ornatis. Neque desunt fragrantae rosae, paeoniae⁵⁵, gerania⁵⁶, excelsae et variae dahliae⁵⁷.

9. Quid amplius? a! Vergilius si nobiscum adesset, quam laetus melliflua funderet carmina cum apiarium⁵⁸ nostrum videret. Quis vestrum poëtae versus memoria tenet? Qui liber est de apibus?

FELIX: —Quartus Georgicon; sed et comparationes de apibus Vergilius saepe inducit; ut, ante Carthaginis moenia, cum urbem et arcem exstrui inspectat Aeneas, Poenos fingit animo apum examen labori intendentes: “Fervet opus, redolentque thymo⁵⁹ fragrantia mella” (*Aen.*, 1,436). — Optime meminit!

JACOBUS: —Et nos hic cum Tityro ad densam patulamque tiliarum⁶⁰ umbram frigus captabimus opacum, ut mos est, aut “levi somnum suadebit inire susurro”... (*Bucol.*, 1,55). —Bene pueros nostros!

10. Sed jam hortus ²⁰⁾ voce sua nos advocat: messibus, frugibus, oleribusque ²²⁾ ⁶¹ hortus laetus ridet; hortulanus enim noster, quod de vilico postulat Cato in suo “de re rustica” libro, diligenter explet: “Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat”. Hic fuit olim trichila⁶², quam vehemens ventus absumpsit. —Progrediamur: hortus in duas partes dividitur; hinc inde sunt ambulatiunculae ¹⁹⁾ ²⁰⁾ ⁶³, quae protectis pergulanis⁶⁴ conteguntur atque umbra e vitium pampanis vestiuntur. Quis verba murmurat?

HELLADIUS: —Ipsemet illa Horatii verba repetebam: “umbram hospitalem consociare amant ramis”; sed et canalis est ad rigandum cui et illa aptaverim: “laborat lymphæ fugax trepidare rivo” (*HORAT.*, *Carm.*, 2,3, 10-12). —Optime se habet; bene Horatio nostro!

11. Videtisne ut ex vitibus orientes pendeant uvae quae calore solis au-gescunt in dies ac maturescunt. Quid hoc fructu dulcius aestate? Reliquas horti partes breviter percurramus. Habetis phaselos⁶⁵, caepas⁶⁶, allia⁶⁷, lactucas⁶⁸,

brassicas⁶⁹, solana tuberosa⁷⁰, lycopersica⁷¹, herbam medicam⁷². Piri vero, cerasi, fici, mali persicae⁷³, armeniaca⁷⁴, pruni⁷⁵ margines ornant, ex quibus certos fructus exspectatis.

Haec quae modo dixi sufficiant; de instrumentis agricolarum deque arborum propagatione et utilitate sermonem in alium diem differimus. Valet, pueri!

VOCABULORUM INDEX

1	pede plana	<i>planta baja</i>
2	contignatio, onis tabulatum, i	<i>piso</i>
3	conclave, is	<i>sala</i>
4	triolinium, ii cenatio, onis	<i>comedor</i>
5	sacellum, i	<i>capilla</i>
6	fores, ium f. pl.	<i>puerta</i>
7	cavaedium, ii	<i>plaza interior</i>
8	familiaricae (sellae)	<i>retrete, water</i>
9	officina lignaria	<i>carpintería</i>
10	animalium cohors	<i>corral</i>
11	suile, is	<i>pocilga</i>
12	cella carbonaria	<i>carbonera</i>
13	laconicum, i	<i>estufa</i>
14	ovile, is	<i>aprisco</i>
15	loculus, i loculi, orum	<i>nidal</i> <i>ponedero</i>
16	fenestra vitrea	<i>vidriera</i>
17	electris, idis	<i>electricidad</i>
18	mater gallina	<i>clueca</i>
19	machina incubatoria	<i>incubadora</i>
20	saeptum reticulatum	<i>malla, red metálica</i>
21	cuniculus, i	<i>conejo</i>
22	cubile, is cavum, i	<i>madriguera</i>
23	lavatorium, ii officina lavatoria machina lavatoria	<i>lavadero</i> <i>máquina de lavar</i>
24	lavandaria, orum lavanda, orum	<i>ropa para lavar</i>
25	interula, ae	<i>camiseta</i>
26	subucula, ae	<i>camisa</i>
27	femoralia, ium feminalia, ium	<i>calzoncillos</i>
28	pedule, is n.	<i>calcetín</i>
29	tibiale, is n.	<i>media</i>
30	rota aquaria rota aquilega	<i>turbina</i>

31	dynamon, i n.	dínamo
32	pila e pariete repercuta	juego de pelota a la pared
33	pediludium, ii	fútbol, balompié
34	grallae, arum grallator, oris	zancos que monta en zancos
35	turbo, inis m.	peonza
36	trochus, i	aro
37	clavis, is f.	guía
38	ludus domini	dominó
39	ludus calculorum	damas
40	ludus anseris	oca
41	castellorum expugnatio	asalto
42	talus, i	dado
43	globulus, i	bola
44	turricula campanaria	espadaña (campanario pequeño)
45	fulminar, aris n.	pararrayos
46	ventorum index	veleta
47	solarium clatratum	azotea con baranda o pretil
48	sacrarium, ii	sacristía
49	floralia (loca)	parterre de flores
50	viridarium, ii	jardín
51	palma, ae	palmera
51	palma, ae	mano
52	bellis, idis f.	margarita
53	lilium, ii	lirio, azucena
54	viola, ae	violeta
55	paeonia, ae	peonía
56	geranium, ii	geranio
57	dahlia, ae	dalia
58	apiarium, ii alveare, is n.	colmenar
59	thymun — thymus, i	tomillo
60	tilia, ae	tila
61	olus, eris n.	legumbre, verdura
62	trichila, ae	glorieta
63	ambulatiuncula, ae	paseo
64	protectum pergulanum	enrejado, emparrado
65	phaselus, i	judía
66	caepa, ae — caepe, is n.	cebolla
67	allium, ii	ajo
68	lactuca, ae	lechuga
69	brassica, ae	col
70	solanum tuberosum	patata (la planta)
71	lycopersicum, i	tomate
72	herba medica	alfalfa
73	malus persica, persicus, i f.	melocotonero
74	malus armeniaca, armeniaca, ae f.	albaricoquero
75	prunus, i f.	ciruelo

JOSEPHUS M. MIR, C.M.F.

In Pontificio Instituto Altioris Latinitatis Professor

Via Sacro Cuore di Maria 5

ROMAE (1) in Italia

PAULO P. VI

LEGATORUM DE PACE PRINCIPI

*Praestans iter nunc, Paule, tuum canam. 1)
Sol occidens Te, non oriens, videt, 2)
 Ut attingit sublime caelum
 ardua velivolans carina.*

*Viginti aguntur jam prope saecula,
Ex quo tenebat vix pelagus furens,
 Levi ac pigra fisis bireme,
 Paulus Apostolus ille Christi. 3)*

*Subtilitas nunc ingenii, in dies
Quae major, artes Pontifici obtulit
 Novas, novas et vis perennis
 Progrediens hominum laboris. 4)*

*Oh, longiores quam breves vias!
Tot filios, oh, quam citius tibi,
 Vecto levi raeda, videndos,
 Ignifero latice incita, addis! 5)*

*Ut nisus alis, velivolo, tribus,
Oh, machinis vel quattuor incito, 6)
 Super volas nubes opacas,
 Oceani, Pater, aequor arcens.*

*Sic sacra Jesu jam loca Tu vides
Jerusalem, quae fons fidei est sacer:
 Unius et pastoris Ipse
 Christifidelibus unitatis. 7)*

-
- (1) In eam terrae regionem, quae Christophori Columbi aetate «novus orbis» appellabatur; nunc autem «America».
 - (2) In occidentem solem versus, cum antea in orientem iter fecisset.
 - (3) Prima Pauli Apostoli itinera adumbranda accipias.
 - (4) De novis peragrando orbis modis artibusque agitur.
 - (5) Vulgo, italice: «automobile» —(ignifer latex = «benzina»)
 - (6) «...velivolo, tribus —...machinis vel quattuor incito» = vulgo, italice: «trimotore o quadrimotore».
 - (7) Iter intellegas jam in Palaestinam peractum pro Christiadam unitate fovenda.

*Longinqua tellus Te manet Indica,
Cui spiritus, heu, vita deest virens
Adhuc, nec est natura larga
Corporis immo noverca dura.*

*Nutricius proin ex epulis sacris
Et spiritus et corporis, oh, famem
Satisfacis: per Te triumphant
Christus et Ejus imago, egenus. 8)*

*At flagrat armis, interea, furor:
Nam saepe lites, heu, populos terunt;
Gliscit fames, discordia obstat
Christiadum fidei unitati. 9)*

*Discrimen urget! Quid facis, Pater?
Quid «Litterae» prosint? Flamen in aëra
Vibrans tuae vocis ducesne
Mitiget et rabiem lupinam? 10)*

*Te nationes consociae audient
Mox, Paule: Laeti Te «Vitreis» manent 11)
In «Aedibus» legati ab orbe;
Laeta manens America gestit.*

*«Aris, focus, oh, parcite, principes!
«Funesta quisquis telaque abhorreat!
«Sit alteri alter frater; ullus
Inde nec esuriat misellus!»*

*Pacis sequester Nuntius ex Deo
Haec, Paule, coram fundere gaudeas:
Vel audiant hostes tenaces!
Vaticinis 12) vigil esto Christus!*

-
- (8) Iter intellegas jam in Indiam peractum pro spirituum corporumque egestate levanda.
(9) Graves intellegas difficultates, quarum causae caeca nationum superbia atque supremi imperii cupiditas.
(10) «Litteras Apostolicas» atque radiophonicas ipsius Pontificis vocis transmissiones adumbrandas accipias.
(11) «Vitreis... Aedibus» = vulgo, italice: «Palazzo di vetro».
(12) «Vaticinis»: adice «verbis» vel «sententiis».

A L M I R U S *

«Estne difficile, quae fieri certe videmus,
ea qua ratione fiant, suspicari?» (Cic. De
divinat., 1,52,118)

*Hoc festo die amoena in valle sub Alpibus ima 1) 2)
Laetantes celebrant Athesini. Viculus exstat 3)
Exigua et pia gens, majorum sueta suorum
Moribus; effuse tamen, iste, quot aspera vincens,
Gestit. Marmorea nullum stat mole sacellum,
Sed super inducta lapides vix calce renidens.
Umbrifer arboreus circum decor undique frondens;
Pallentes graduum rimosa per arida saxa
Repunt herbae —quid quot vici vita per annos, 4)
Heu, tristis fuerit, memorem! — Venit organi ad aures
Musici ab aede sacra modo acutus in aëra, tamquam
Flebilis et murmur modo, nullis vocibus aptus,
Concentus. Gliscit sonus, aequae et crebrius intus
Augescunt voces; linguarum cerei ad instar
Marmoreum super usque vibrant altare micantes.
Etsi inolentes, sunt silvarum flosculi ocelli 5)
Munera digna Deo una, nitent varioque colore.
Cum subito, ex nutu quasi, conticuere et ad aram
Ora tenent omnes: scandens summâque gradata
Instans areolâ, mensam lino ante nitentem,*

* Est nomen cujusdam sacerdotis, qui, puer, primas hujus rei egit partes. Primo bello, quod toto orbe, anno MCMXV, flagravisset, apud vicum, vulgo «Torcegno» dictum, cruentum est ortum certamen inter Italos et Austriacos. Cum hostes (Austriaci) suspicarentur sacrae aedis curionem, caritate patriae incensum, Italis favere, eum, conviciis invecti, capite damnum, a suis vi abstulerunt. Antequam autem deportaretur, curio idem puerum quendam, septem vix annos natum, ex circumstanti turba arcessivit, cui, secreto, sacra ciboria commisit sumenda sibi ceterisque vilicis, ne ab hostibus violarentur. Illâ eâdem manu, qua Almirus Christi Corpus sumendum praeberat, decimoseptimo elapso anno, ex vaticinis ipsius matris verbis: «Nihil inhonesti unquam ea filium suum commissurum». S. Ordinis chrismate inlitâ, Eucharistiae mysterium Almirus etiam litavit.

1) «Hoc festo die» = cfr. v. 21.

2) «In valle» = vulgo: Valsugana.

3) «Viculus» = vulgo: Torcegno (apud Tridentum).

4) «Quam longos...» = per multos annos vilici multiplices ac varias aerumnas passi erant, quarum causa bellum primum inter complures orbis gentes, quod, anno MCMXIV exortum, finem tandem anno MCMXVIII habuit.

5) «Inolentes» = in silvis, nullo serente, virentes.

*En novus, utque sacris auctus, divina sacerdos
 Haec primum litat, elatis oculisque manuque
 Sacrum perficit apta, ut chrismate, munus inuncta.
 Dum spirat mussans super Hostia, itemque susurrat
 Quae panem Christi convertant Corpus in ipsum,
 Temporis in mentem forsan sibi venerit acti,
 Cum non fausta suo prorsus jam viculo oborta
 Illa dies fuit: ex ipso aedis adactus ab hoste
 Curio erat, populi pater almus, limine sacrae:
 Ut reus ipse, Dei servus, convicia passus:
 Majorum patriae, ipsius natalis amoenae
 Terrae veri et justitiae damnandus amore.
 In medium tractum, manibus post terga revinctis,
 Funiculo intorto mox verberat hostis acerbe,
 Concutiens manuballistam jam saevaque Martis. 9)
 Plumbeus ignitus jam glans torquetur in illum:
 Qui vero, minimum puerum vix inter alumnos
 Intuitus, stetit, et: — Posthac, audi, esto — ait —, istis 10)
 Adruit hic turbae tacitae — idem pastor et auctor
 Filiolis; animo ne conturberis: ad unum
 Ipsum te totum confer: perrumpere coeptant
 Hostes e clivis circum, ceu grandine densa,
 Ignitis hos missilibus mox undique muros;
 Jam modo, jam segetes has barbarus atque penates
 Proteret; ipsa quidem sacra non violare timebit.
 Talia ne tandem patiamur, amice, nefanda!
 Liber adhuc aditus tibi: iter jam carpe sacelli,
 (Limina nemini inire nefas...: pietatis ei uni,
 Qui, miser, est expers!); subsello opusque staturae,
 — Exigua est tibi enim —: facias nil secius unquam:
 Ista en inde manu — hic pueri in dextra oscula figit —
 Prome ciboria: ad unam omnes tibi sumere primum
 Particulas; aliis dare ne dubitaveris inde. 11)
 Quidquid jam modo curio ei spiravit in aures,
 Hinc cito abi, Almiri, et bene cedat res; Deus adsit...! —
 Hic ut iners aliquis, si quid mirabile visum
 Per somnum sit, sic puer, admiratus, hebescens,*

-
- 6) «En novus... sacerdos...» = Anno MCMXXXII, incolae vici diem festum celebraverunt, quod quidam juvenis popularis, Almirus, sacerdotio catholico auctus erat.
 7) = cum, compluribus ante annis, inepte et immerito, ut puer adhuc erat, sacra tractasset.
 8) «Spirat...» = nempe arcana verba, quibus divinitus panis in Christi Corpus mutatur et vinum in Sanguinem.
 9) «Manuballista» = vulgo: mitragliatrice o fucile mitragliatore.
 10) = generosa profecto, etsi ardua admodum, curionis consilia.
 11) «Particulas» = panis fragmenta, quae, per substantiae mutationem, sunt Christi Corpus facta.

*Raptim conspectu, ceu fulminis, evolat, ictus.
 Interea, igniti globuli, quos usque vomebant
 Raucisona aëra, vel exigui rarique videntur;
 Hostes infesti tamen haud desistere caede
 Jam metuunt; etiam succedunt paene recentes
 Ac saevi semper certamen tecta sub ipsa
 Et semper nova miscentes instanter in horas:
 Cominus alterius tela alter utrinque lacessat;
 Hic manuballistae crepitant; en ignivomae acres
 Omnia percutiunt; homines hic fistulae inermes 12)
 Ferreae ab insidiis resonant pecudesque petentes,
 Nullus jam locus est, explosis ictibus, usquam,
 Nulla est res prorsus, quae non concussa tremescat.
 Plebi quid reliqui in tanto discrimine rerum?
 Quî poterit misera aut quamnam sperare salutem?
 Dum tonitru clivi reboant strepituque vel ipsae
 Aëreûm telûm silvae quatiuntur opacae,
 Quam modo miscuerant gemitus jam turba tumultu,
 Nunc tacite varias passim discurrit in oras...
 Quo ruis, infelix? Ubinam tibi portus amicus?
 Una tibi domus, una salus, pia, rustica turba,
 Aedis erit sacra! Fors Almiro curio in aurem
 Quae dixit modo non audisti concita verba?
 Non equidem: vehemens divinum flavit in imis
 Pectoribus quasi quod nemo omnino auribus hausit!
 Vox tua, curio, ab ore Dei prodire videtur,
 Nescia nec ruit en plebs ipsa, aditura sacellum,
 Usque ab avis recolens quae fasta nefastaque cuncta
 Decrevit Deus, et quae saepe per aeva fuerunt.
 En ultro ex integro iterum glomerantur euntes
 Omnes: et juvenes puerique senesque, gementes...
 At subitus stupor en pavidos invadit in omnes.
 Quid? Puer ipse, dato pedibus subsellio, adauctus, 13)
 Ultro ex aedicula trepidansque ciboria dextra
 Mysteriorum Augusti lacrimis expromit abortis,
 Quae, ex auro quasi siderea fulgentia luce,
 Jam, dum pectoribus pie adhaerent bracchia summis,
 En ipsi genuflexi et hiantes vilici adorant!
 Christi sic adeunt epulas; alit Hostia eosdem,
 In primis matrem pueri Almiri: esto beata,
 Si Deus exaudit populi quod prodit ab ore,
 Tu, mulier; tu, gnate puer, quandoque sacerdos! 14)*

12) «fistulae... ferreae» = vulgo: canne da fucile.

13) «Puer... adauctus» = statura, videlicet, cum pusillus esset.

14) = quanta fides, quam fortis animus in puero! Dignus profecto videtur, qui sacerdotio aliquando augeatur.

*Desinit interea Mars insanire furore:
 Non usquam gemitu silvae strepituve resultant
 Clivi aut ignivomae strident jam fistulae adustae.
 «Italia, Italia!» — Una valens vox fertur ad aures.
 Nunc vere exultans en turba sacra effluit aede;
 Almirus, cupiens matri dare braccia collo,
 — At me? — inquit — Quodnam, benesuada, haec dextera, mater, ¹⁵⁾
 Munus, mysteria ipsa experta, incumbere possit? —
 Hic subito mater, dum dexterae et oscula figit
 Filio ait: — Modo ne faciat scelus ipsa nefandum! —
 Hic, spirans quasi, vox auditur in aëra, flamen:
 — Quid dicis? Scelus? At sacra et divina litabit!... —
 Vaticina Almiri sors ipsa beata replevit. ¹⁶⁾*

JANUARIUS MARINELLI Professor

Via Salvatore Rosa, 241

**NEAPOLI (in Italia) a. MCMLXV (quinquagesimo, apud Italos, exeunte anno
 ab inito totius orbis bello)**

15) «Benesuada» = quae, mater, una consilium aequum ac probum dare filio posset.

16) «Sors ipsa beata...» = in sortem Domini vocatus, Almirus ipse probat quam plane compleantur vaticina: quid de sua ipsius manu futurum.

ITER SICILIENSE

*Opusculum in Certamine Capitolino o
MCMLVII «honorifica laude» ornatum*

Messanam, media jam parte noctis praeterita, apellimus. Exponimur invictique dormitum discedimus. At somnum avertit molestus culex et strepitus vehiculorum me sopitum interdum excitat. Vigilat etiam laetus studio animus: mane surgendum, claras Siciliae urbes circumeundas.

Multo mane surgimus, orto jam die. Duo magna automataria petorrita recenti fabrica formaque nitida in sole splendent; his sex continuos dies per Siciliae litora et oppida circumvehemur.

Digredientibus nullo pacto Messana linqui posse videtur, cum vici inter se juncti et continuati sint secundum maris litus. Primo omnia videndi et spectandi studio movemur. Omnia admirationi sunt: caelum, montes, aedificia, tabernae, homines. Tecta sunt parva et unius tantum tabulati; quorum frontes libellis titulisque chartaceis sunt opertae. Juvenes, adulescentes, pueri in via aut in crepidine fervent varioque gradu, nec tamen citato, procedunt; iidem vitare raedas nihil curant nec irata voce moventur ululantium bucinarum, sed hoc maxime fugere velle videntur, ne, celerato gradu, inhoneste incedant aut cum timore festinent. Multi etiam in equis aut mulis aut asinis vehuntur, singuli aut bini; alii in plostello variis coloribus et imaginibus ornato. At feminae in publico versantur paucae.

Stant, procedunt, fluctuant, nulla ratione, sed pro sua quisque libidine, alii dextra, alii sinistra, alii de transverso; quare multitudine hominum et jumentorum impeditur iter. Tabernae pleraeque sunt parvae. Ad lanios, ut mos fuit antiquorum, uncis suspensa pendent membra discerpti bovis aut haedus pelle detracta totus.

Hinc montes Peloritani imminent, devexo latere ardui, hinc —trans fretum — ingens et severum promunturium Silanum (Asperum Montem vocant recentiores) die sereno nebula subtili velatum. In ripa, quae laevo viae margini impendet, ficus Indicae sive Opuntiae, neria, bougainvilleae bratteis ardentibus, ordine continuo, immo perpetuo procedunt. O magnam colorum varietatem atque pulchritudinem! Indicae arboris color est viridis quidem, sed metallo similis; cujus ramuli, in tereti trunco positi, in folia crescunt magna et crassa, quae inter se haerentia spinis et saetis horrent.

Interdum siccas fluminum fauces transmittimur. Multa etiam praeterimus oppida in litore marino sita; ridet interea Ionii maris aequor marmoreum et procul e saltu

Trinacria cernitur Aetna.

Nunc per loca amoena arboribus Medicis consita flectimus iter. Mox per virides saltus via ascendit, modo per olivetum, modo per vinetum. Sunt coryli quoque et castanae, paucae contra raraeque quercus supersunt, quae sunt reliquiae ejus silvae, qua tota Sicilia olim erat obducta et quasi quodam viridi induta amictu. Laeva mons Aetna surgit, quem cum stupore et admiratione totum oculis perlustramus; dextra amoenam vallem fluminis Alcantarae prospicimus.

Jam locorum colores mutatos esse videmus; nam antea mare caeruleum, virides ficus Indicae arbustaque floribus purpureis decora conspiciebantur; at nunc rus duobus tantum coloribus est distinctum, cum ejus partes, alterae flavae sint, quia, ubi messis est facta, solum flavet stipulisque horret; quae contra arva sunt proxime vomere dimota, maxime nigricant.

Ad oppidum Randatium pervenimus, in Alcantarae ripa positum et tectis frequens, e quibus eminent tholus aedis sacrae et aëriae turres cuspidatae. Haec urbs antiqua fuit (Tissam aut Triracium sunt qui contendunt fuisse), media quoque aetate illustris et clara. Cujus vici urbis media aetate satis florentis, postea jacentis et squalentis, imaginem specieque etiamnunc repraesentare videntur: per adeo tot saecula paene immutatam faciem servaverunt. Hoc etiam admirationi est: quae tecta calce recenti non sunt illita, ea e lapide nigro facta sunt, iis scilicet saxis, quae olim liquefacta ex Aetnae fornace erupta, deinde, calore amisso, arefacta et durata, in lapidem verterunt. Hujusmodi e lapide cum alia oppida circum Aetnam sita, tum multa in ipsa Catina aedificia exstructa sunt.

Rursus via ascendit. Montes Nebrodes sunt; Caronias appellant recentiores. Loca circa asperiora fiunt, tecta rarescunt, vicus conspicitur nullus. Rus partibus inter se colore dissimilibus, ut antea, distinguitur, quarum unae, vomere convolsae, nigricant, alterae sufflavae sunt et stipulis horridae. Rari viatores, nec quisquam solus procedit; plerique in jumentis vehuntur vultuque sunt feroci, crebro et nigro pilo capillisque, capite per aestum operto. Aetna late circum dominatur ingens, subcaerulea, at atri fumi aliquid perpetuo e summo ejus vertice evolvitur nec statim dilabitur. Ibi fuisse officinam Hephaesti sive Vulcani, ibi Cyclopes fulmina Jovis fabricari atque properare commenti sunt antiqui poëtae.

Aeschylus, cum in Siciliam venisset et ab Hierone, Syracusanorum domino, benigno hospitio esset acceptus, fabulam dedit *Aetnaeas*, ut urbem Aetnam, ab Hierone in locum Catinae conditam et novis incolis frequentatam, efferret laudibus. Ejus mentem divino quodam spiritu concitatam ad canendam impulsisse dicitur Aetna tum inspecta, cum turbinem piceum favillasque erexit et, praemisso fremitu, flammam evomit candentiaque per noctem saxa eructavit. Fabula *Tetnaeae* periit, at in *Prometheo* illo Typhona, Jovis telo incensum et conflagratum, monte superimposito, radicibus Aetnae premi dicit et inde olim ignea flumina eruptura canit, sata frugiferentis Siciliae ore fero late vorantia. Eadem fere et Pindarus describit in *Pythicis* idemque urbes opulentas memorat excelsa sub Aetna positas.

Oppidum varia viae ambage subimus, sufflava in rupe adversae in conspectu Aetnae fixum (Cesarò apellant recentiores); cujus tecta eodem colore sunt atque saxa: saxeam silvam monti increvisse credas. At paulo post alium pagum (cujus nominis oblitus sum), incerti quo pergendum sit, tardato cursu percurrimus, mox consistimus et paulisper manemus. Hic misera vitae condicio primum oculis nostris obicitur, quam fertilitas regionis et amoenitas locorum antea celavit: tecta sunt parva, casas dixerim, antiquo de more constructa; viae scrupeae et caeno lutoque sicco et jumentis, capellis, subus impeditae. In hoc pagulo temporum ordo videtur cessare aevum nullum processisse (Equidem fatebor me, cum ea respexissem, facere non potuisse quin lacrimarem: adeo neglecta, sordida, squalida omnia visa sunt quae vidimus. Homines et pueri —nam feminae in publicum tum nullae prodierunt— sordido vestitu, timido vultu, obstupefacti intuebantur nos mirabanturque ut homines in alio terrarum orbe et alia ratione —paene dixi alia aetate— viventes).

Cogitationes nobiscum volventes per solitudinem ad Ancipanum lacum iter pergimus. Via est munita, necdum strata. Ultimo tandem saltu superato, Ancipanum aequor apparet. Veloci cursu descendimus et hora circiter decima, sicci adhuc et impransi, ex petorritis desilimus. Molem flumini oppositam summam pedibus percurrimus, ut in alteram ripam veniamus; itinere fessos et crebris animi motibus fractos nos recipit custodum casa.

Modice pransi —in cistula inclusa erant bina assi vituli segmenta, ovum aqua ferventi coctum, panis frustum, pirum, dulcissimi vini sextariolus— ad visendam molem ducimur ab homine perurbano et ejus rei peritissimo, qui nos singula docet: molem ex arenato, ferro roborato ac durato, anno MCMLII esse exstructam; eandem, ubi maximae angustiae sint, monte Ancipa et Arce Mania, ut binis umeris, niti; altam pedes ferme CCCXXXVII; summam patere in longitudinem pedes ferme DCCL; flumina Troinae ita cohiberi atque reprimi ut

lacus aquae octingenties centena milia pedum in cubum ductorum contineat; eam construendam curavisse rectores Instituti agris in Sicilia ex lege agraria dividendis et ratione colendis, deinde in possessionem cessisse Instituti Sici-liensis electrici generandae et distribuendae; in partem impensae venisse Italorum rem publicam per administratos procuratoresque ex lege de regionibus Italiae ad meridiem spectantibus excitandis atque ad pleniorum vitae cultum prosperitatemque provehendis; aquam per vim et tubis coactam Troinam usque duci, ubi officina sit electrici gignendae; deinde descendere in Catanenses campos ad arva et loca arboribus consita irriganda.

Discedimus jam occidente sole. Iterum Ancipana moles procul conspicitur; quod opus novum ac recens tanto abhorrere videtur a regione circumjacenti, quanto nostra aetas ab antiquitate (Aedem diceres novi cujusdam et tremendi dei, Siculae genti peregrini et ignoti, in conspectu Aetnae factam ubi Ceres prima mortales artem colendi agros docuisse dicitur).

Ecce bos magnus, subrufa pelle, cornu conspicuus, respicit intentisque intuetur nos oculos. Qui quasi quidam venerabilis Genius loci esse videtur et haec canere velle:

“Quid, homines confidentissimi, a regionibus Italiae septentrionalibus huc venistis? Num, ut in has terras antiquae et fertilitatis et sapientiae nova inventa artesque inferretis, quibus tantopere gloriamini nec beatam vitam consequi potestis? Cedite. Hic Stesichori, hic Charondae, hic Empedoclis animus vivit, hic numen colitur Hennaem, haec sedes Proserpinae, quae inferi Jovis est conjunx”.

Jam advesperascit. Pecus caprinum occurrit: capellae sunt mirum in modum cornutae et lanosae, pilo scilicet promisso; custodit pastor severo vultu, capite operto. Advenit nox.

Repente nostrum quidam exclamat et digito monstrat; suspexi et ignem Aetnaem vidi. Nam saxa liquefacta aliqua ex fornace Aetnae, caerulea nebula obvolvata, sublime ejiciuntur identidem: attollitur flamma et parumper splendescit in obscuro caeli spatio, antequam ardentes massae in fornacem recidant. Qua admiratione capti, animi omnium sereni et laeti fiunt, dissipatur maestitia. Regio est severo aspectu facieque, tragicam dixerim, et paulum religionis excitat, sed nihil triste, nihil maestum respicientibus nunc inicit.

Oppida deinde praetervehimur antiqua gloria et fertilitate soli illustria aut aedificiis antiquis decora aut hominum frequentia celebrata, in clivo devexo posita aut in praerupta ripa et in ipso saxo Aetnaeo pendentia. Quae tamen, velocitate vehiculorum et nocte obscura impediti, vix agnoscimus; nam post tenebras fulgor lucentibus lanternulis missus oculos ita praestringit ut parum dispicere queant.

Catinam tandem laeti pervenimus. Quamvis multa nocte, varia hominum multitudo in publico deambulat aut prope tabernas versatur in margine viae aut in thermopolio sedet.

Urbs Catina magna est et pulcherrima, vicis concinnis, rectis, aedificiis miro artificio constructis et maxime inter se convenientibus atque consonantibus. Nam terrae motu anno MDCXCIII subversa et paene deleta est, sed iterum condita et ad insolitum illud genus artis, quod baroccum vocant, exaedificata; vir magni ingenii vicorum ordines dimensus tam prudenter descripsit ut, qui postea sive in interiore sive in exteriori urbe domos aedificandas susceperunt, ii omnes id secuti sint. Quod eo magis laudandum, quo minus egregie alibi est factum. Nam Romae, Mediolani, Florentiae, Venetiis quam aliter! Vetusta eaque decora antiquae aetatis monumenta ideo eversa sunt ut locus daretur novis fabris ex recentiore ratione et studio renovandi urbem, nec tamen nova, veteribus rebus disturbatis, commodius surrexerunt aut surgunt.

Aetnaea quae vocatur via amplius duo milia passuum patere in longitudinem dicitur et inter pulcherrimas omnium numerari.

Porta egredimur Ferdinandea, lapide nigro et albo variata festivisque ornamentis conspicua. Catinensi campo nihil jucundius aut magis amoenum vidi. Nam hinc claudit mare purpureum, hinc Aetna, urbi superposita et globos fumi perpetuo evomens; cujus umeri clivusque arboribus et hortis et oppidis late candentibus vestiti sunt. Campus latius patet quam ceteri Siciliae idemque fertilissimus omnium est futurus. Nam, fluminibus directis et aggere coërcitis, aqua canalibus deducta, in salubritatem vindicatur et in arborum formam redigitur. Arborea, segetes, villae, viculi in aequum quasi descendere videntur et omnia complere. Dilapsa est omnis pestis, culices deleti atque sublati, chymicis etiam purgamentis adhibitis.

Subrufae vaccae per limpidum neque altum fluvium tardo pede incedunt, ex quibus una jam consistit ut demisso ore bibat.

Protinus pergentes, homines quosdam senes et mulieres puerosque videmus pronos aliquid tollentes. Accedimus: linum xylinum, sive lanam de ligno, legunt —gossypio locus est consitus— ne madefactum hesternae pluvia pereat. Gossypium compluribus Siciliae locis etiamnunc seritur — Arabes intulerunt; tamen dubium est num ad fructum ratio fiat.

Arbores plurimae sunt Medicae (equidem Sericas aut Lusitanas appellarim, ut quas a Seris in Europam Lusitani importaverint; est enim earum genus dulce; citros vero deliciosas, quas vocant, Madurenses vel Mandaurenses rectius appellandas esse puto: ab extrema Asia his centum annis sunt importatae), mala nunc viridia et acerba tenent, aurea et dulcia postea futura. Ar-

boribus hujus generis serendis solum per gradus acclive praeparatur; arbores autem paribus et satis magnis spatiis seruntur; spatia ipsa paulo minus pedes XX lata fieri jubentur, quo felicius arbores veniant.

Ad Sanctae Febroniae ventum est. Hic magnus fundus visendus, quem dominus nova ratione domandum et colendum cum studio et labore curat, ne praedii pars, detracta de corpore toto, adimatur in publicum et in partes divisa novis assignetur colonis. Neque id inepte: nam et sua servabit rura et impensas et labores aequabit fructibus, quos ex agris ratione cultis perceperit; fundus multo fructuosior erit. Solo etiam terebrato aqua superne erumpit; minor tamen est ejus copia quam pro latitudine et siccitate agrorum.

Est parva aedes sacra christiana, sunt nova stabula et receptacula, in quibus machinae agris arandis custodiuntur; omnia sunt recentia et nitida; pecori quoque habendo cura et experientia videtur esse in eo qui habet fundum; quod non satis laudaveris, cum, ut ait Varro, stercoratio ad fructus terrestres aptissima sit. His quoque temporibus stercus optimum laetamen agris satiandis judicatur (Tergum montis imminet, cujus color similis erat fimo; caeni acervum esse putares). Locus leni vento recreatur.

Hinc discedimus Leontinos petentes. Via per medias Medicas procedit viridi, immo nigra coma conspicuas; in utroque margine ficus Indicae, agavae, cardui (Panormi et Messanae ager abundat citro amara et arbore Mandaurensi; Medicis Catinensis et Leontinus campus).

Leontini lacus litus legimus. Quem, aqua canalibus deducta, nuper exsiccatum, machinis ad saxa removenda aptis purgandum susceperunt homines periti. Hinc quoque aër pestilens dispulsus est, omnis pestis amota. Adveniant igitur peregrinatores securi ab isto nunc agro, antea lacu: naturam loci vicit hominum labor atque experientia. Utinam et barbariam saeculi vincat humanitas et pietas atque lex Christiana, odia recedant, bella seditionesque dilabantur, inimicitiae exstinguantur.

Oppidum Leontini paulo post apparet. Leontinis ille Gorgias natus est, oratorum suae aetatis nempe princeps, cujus vitae spatium sermones habiti non praeciderunt! Nam amplius centum annos vixit (Leontinis quidem et Jacobus ille natus est, unus ex iis poëtis, qui in Sicilia et in Apulia ante Florentinos ceterosque Tuscos floruerunt; sed in Sicilia cum versarer, non tam Latina aut Italica aut ceterarum gentium, quae deinceps eam tenuerunt, quam Graeca pervestigavi monumenta, de Graecorum rebus factisque recogitavi, ut qui in Graecia numquam fuisset et in Sicilia ad Graeciam quasi accedere possem).

Protinus ascendimus, dextra linquentes colles trans vallem Rucciam positos, in quibus antiquum oppidum fuit situm, muro olim circumdatum et tem-

plis frequens. Naxii coloni condidere eodem anno quo Catinam; vastavere Syracusani, Carthaginienses, Romani... terrae motus denique cum alii, tum is qui a. MDCXCIII factus est et multas urbes, multa oppida subvertit, Catinam, Syracusas, Netum...

Fundus inter viam monstratur nunc incultus, sed (e pascuo) in arva mutandus. Cujus pars, domino ex lege agraria publice dempta, viritim est dividenda.

Urbs Augusta procul conspicitur in parva insula sita et Siculo litori pontibus juncta. Quae, vicis mirum in modum directis et quadratis et ad similitudinem tabulae latrunculariae compositis, maxime est conspicua. Mox per medias salinas, deinde per fauces angustiasque pergimus, quoad porta Hispana, seu Terrae, quae dicitur, in urbem introvehimur.

Exponimur. Avidius et exquisitius pransi (suaves quidem dapes, suave vinum, suavis et Arabica potio; haec tota quidem Sicilia suavis, et minoris quam in Italia septentrionali venit. Num homines Sicilienses difficiliore sunt quam Padani?), Augustam maturius linquimus, egressi magnas terrae oleo purgando officinas conspicimus.

Protinus pergentibus Megara Hyblaea occurrunt, quae colonia a Megarensibus septingentis fere annis a. Ch. n. deducta est; Megarenses autem Hyblaei Selinuntem postea condiderunt. In hanc civitatem ascriptum fuisse Theognidem illum Megareum, virum nobili genere natum et implacabilem malorum civium inimicum, auctor est Plato.

Media in caeruleo mari albescit paeninsula vel insula; Magnisi vocant recentiores, antiqui dixerunt Thapsum; magno et antiquo sepulcreto, aetatis nempe aereae, quae dicitur, clara.

Syracusas sub vesperum tandem pervenimus. Ex superiore loco urbem et portus contemplamur, stupore et admiratione defixi. Hinc tradit Livius Marcellum, moenia ingressum, urbem omnium ferme illa tempestate pulcherrimam subjectam oculis vidisse, deinde "illacrimasse... partim gaudio tantae perpetratae rei, partim vetusta gloria urbis".

Descendimus theatrum visere cupientes. Hic Epicharmus, hic Aeschylus fabulas dedit. Deinde mediam percurrimus Achradinam, postea antiquum forum sive "agoram", in Ortygiam denique ingredimur. Multa raptim occurrunt, cum alia tum latus Domus Dei ad septentriones spectans columnaeque antiquae aedis Minervae, muro nunc conjunctae; nam antiquo aedificio aedes christiana aptata est. Fontem Arethusae desuper spectamus. Lacus est parvus, aquae limpidae, et olim dulcis, plenus, crepidine clausus et circumsaeptus, ubi

virides crescunt papyri, cycni natant, pisces micant frequentes. Fama erat Arethusam nympham, insequente Alpheo, huc pervenisse ex Achaia... Quod Vergilius significat:

*Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos
Doris amara suam non intermisceat undam.*

Opinio etiam erat antiquorum, ut scribit Seneca in *Quaestionibus*, Alpheum flumen "ex Achaia eo usque penetrare et agere sub mare cursum nec ante quam in Syracusano litore emergere...".

Interea, in foro Italico, quod vocant quodque secundum maris litus porrigitur, aliquis virne an femina sit, cantetne an doleat an oscitet incertum—ejulat, vocis amplificatorem adhibens, more recenti et externorum proprio, magna hominum, feminarum, puerorum multitudine circumfusus! Hic, in Ortygia, prope locum in quo fuit domus regia Hieronis resonitque Pindari carminibus!

Cenati ad Apollinis reliquias visendas descendimus. Cujus descriptio nec simplex est et peculiare aliquid praebet. Inde controversia oritur. At, quoniam res maxime difficilis apparet et subobscura nox est (et Syracusana vina robustiora bibimus) rem in aliud tempus differimus.

Laeti surgimus cum die et sole. Iter nuntiatur esse mutandum: non per Netum, Motycam, Sciclim, sed per Floridiam, Solarinum, Akras, Hyblam Heraeam, nos Agrigentum perventuros. Unum et alterum hoc paenitet quod non possit visere campos Sciclanos, ubi, siccatis lacunis paludibusque, aëre purgato, nunc mirum in modum cultus ager praecoces fructus gignat, cum alia multa tum solana lycopersica, vulgo poma aurea, quae mense Martio coquantur.

Egredientibus Syracusis et Epipolas radentibus tam multa oculis subiciuntur, ut nequeamus eligere quid singulis vicibus cernamus, prospectumne urbis pulcherrimum an campum, quem Anapus umectat, an reliquias Jovis Olympici aedis sive Olympieum. Thucydidis nunc reminiscor hunc et illum locum: ad Jovis Olympici Athenienses, duce Nicia, in terram e navibus egressos, cum Syracusanis sua fortuna pugnavisse; quod initium fuit belli superbe illati, varia fortuna gesti, infelice ad exitum perducti. Pugnas quoque navales in sinu majore factas recordor, munitiones a Nicia frustra factas ut urbem circumvallaret, Gylippum animis sollertiaque vicisse, Athenienses turpiter fugisse insequentibus Syracusanis, duces eorum misere periisse...

Plurimae hic sunt olivae. Quaedam sunt maxime procerae et patulae; quibus majores nullas vidi. Sunt etiam colore subnigro. Et amygdali, ceratoniae

siliquae, nec non agavae, ficus Indicae. In arvis, quae nunc percurrimus, zea est sata, sed humilis est, minime attollitur, cum ager minus fertilis sit quam Catinensis. Circa stationem, quae vocatur Iambra, loca sunt multo etiam nudiora et squalidiora. Saxosos et aridos percurrimus montes Hyblaeos saltusque. Magnae lapicidinae conspiciuntur. Lapis est calcareus, albus, tener; ibi maxime albicat, unde recentissime est effossus. Akras properamus.

Oppidum Akrae antiquum est; olim a Syracusanis est conditum. Terrae motu a. MDCXCIII subversum, denuo resurrexit et pulchris aedificiis ornatum est, e lapide albo ad illud genus quod baroccum vocant exstructis. Quamvis parvum, dignum est quod visatur: honesta sunt multa et decora; quaedam aedificia intermissa esse videntur, necdum perfecta; complura sunt etiam podia mutulis fulta et eleganter exornata. Antiqua etiam monumenta exstant, etiam parvum theatrum Graecum mirum in modum servatum. Hoc acriter paenitet, quod nequimus consistere.

Aliud oppidum splendet in sole late porrectum et in clivo montis positum. In campo alius est fundus publice divisus, ubi tecta recenter facta et paribus spatiis disposita, albicant. Solum parum fertile antea, hominesque miseram degebant, immo trahebant vitam levabantque frugalitate et patientia.

Boves subrufas in ima valle Irminii fluminis pascentes videmus. Quas laboris maxime patientes dicunt, hinc etiam caseum premi dulce. Olivae nunc paucae, complures contra cerationiae siliquae, una et altera cupressus aut Punica malis subpurpureis onusta aut pirus silvestris aut amygdalus.

Hyblam Heraeam per declivem ripam subimus. Ficus Indicae magnae conspiciuntur, una excelsa et florida araucaria occurrit aut phoenix dactylifera, creberrima neria. At allicit capitque vehementer oppidum ipsum, praeruptis saxis impositum, quo fortasse pulchrius aliud, nihil dignius stupore et admiratione vidi. Desuper iterum Hyblam contemplamur, ad urbem superiorem, Ragusiam, tendentes.

Apud Ragusiam terrae oleum e solo elicitur; nulla contra est oleo purgando officina. Terebra usque ad septem milia pedum in altam terram nuper est acta. In agro Ragusino et bitumen e terrae cavernis effoditur. Ager tamen parum fertilis est neque ea abunde gignit, quae solum Siciliae fundere solet.

Victoriae (quae urbs a Victoria, e Columnensi gente nata, est condita olim) aliquamdiu laeti moramur, prandio suavi et copioso apposito. Postquam unus e doctoribus Victoriensibus, homo perurbanus, nos benigne allocutus est, ad visendam parvam urbem libentissime egredimur miramurque tum alia tum forum pulchris et inter se, quamvis alia alia aetate facta sint, consonantibus aedificiis e lapide ornatum, vias etiam rectas et lapide, non bitumine, stratas.

Apparent campi Geloi, quos scilicet Gelas percurrit. Nomen a Siculis antiquissimis flumini impositum receperunt Graeci et inde nomen urbi dederunt

immanisque Gela fluvii cognomine dicta.

Hic Aeschylus obiisse traditur. Consistimus studio flagrantem visendi murum antiquissimum et templorum reliquias. Cunctis admirationi fuit murus quingentis fere annis a. Ch. n. opere quadrato, genere isodomo, quod vocant, exstructus. Cui sexaginta ferme annis post alter superimpositus est murus crudis lateribus diligentissime factus. Qui tam mira structura est ut vitro nunc seduli protegant custodes.

Ad molem pergimus in angustiis inter montem Disueri et arcem Giblem aedificatam et ad lacum magnum lateque patentem. Inde fluvius ad irrigandos campos Geloos descendit. Haud procul hinc magnum sepulcretum est et parvis cavernis frequens; cavernulae ad humandos homines mortuos a Siculis antiquissimis, saxo cavato, factae sunt; aliae deinceps gentes, temporibus adversis huc perfugere coactae, cavernulas ad suos humandos aut ad habitandum adhibuerunt. Abimus.

Obviam it grex ovium et capellarum magnus. Solum arboribus nudum et glaebis jacentibus subnigrum. Colonus, stans pro tecto, manu salutat: in media solitudine nempe vivit; nam circa nullae sunt aut arbores aut casae aut homines aut pecudes.

Apparent tandem Agrigentina templa, occasu solis et roseo calcarii colore ardentia; sublime oppidum fulvis collibus impositum in caelo albet caeruleo.

“Salve, o splendida, o pulcherrima mortalium urbium, Phersephones sedes, quae in Akragantis pascuo saltu habitas collem egregie munitum, o regina, benigna excipe...” [Pindarus] excipe, inquam, hoc admirationis et venerationis munus, quod tibi ego, obscurus poëtarum Græcorum lector, a Septemtrionali Italiae regione, operibus et opificiis florenti et novis rebus inventisque student, huc per frugiferentis Siciliae saltus et oppida vectus, do dono dedico.

Neque Agrigentum viae finis fuit, sed hujus paginae erit, ne legentes ejus itineris taedeat, cujus, qui fecerunt, eos minime pertaesum est. Etiamnunc magno Siciliae desiderio tenemur.

PER ORBEM

Corpus Lectionum Latinarum. -- Primum libellum primamque fabulam classicam quam Congressus Argentoratensis jussu *Bibliotheca Vitae Latinae* in lucem edendam curavit, omnes nos qui opera classica ut foras dentur cupimus, ex animo salutamus. Quod si scire, lectores, vultis quid III Conventus Internationalis ad linguam latinam vivam reddendam, anno 1963 Argentorati coactus, de re senserit, hoc Congressus accipite votum:

“Corpus paretur internationale Lectionum Latinarum, quae ex antiquis et ex Medii Aevi et ex recentioribus auctoribus seligantur; hujus Corporis scripta sua natura simplicia sunt, quibus indoles propria cujusque scriptoris manifesta fiat”.

Hoc propositum sectans, clma. femina Susanna Bails primam **PSYCHES ET CUPIDINIS** fabulam ex Apulei Madaurensis *Metamorphosis* excerptam ad usum scholarum narratam diligenter paravit. Tanta vero venustate fabulam narravit, tanta humanitate atque difficili facilitate eam auctrix adolescentibus aptavit ut ab omnibus sine labore, immo et palpebris immotis fabulam lectum iri judicemus.

Fabulae Apulei —facili lectioni effectae— prooemium praemittitur lingua gallica et latina conscriptum, brevis Apulei biographia additur et lingua gallica et latina scripta, fabulae narratio praebet. Fabula quattuor imaginibus collustratur.

Qua nova ratione sermonis latini proponendi scriptoresque adolescentibus vicinos faciendi, pro certo habemus fore ut fructus optimi linguae cultuique latino oriantur.

Congressus inter nationes de Lingua Latina. — Provehente Instituto Studiis Romanis colendis et rei publicae Italicae Praeside auspicante, ex die 14 ad 18 mensis Aprilis anni proximi 1966, Congressus Internationalis de lingua latina Romae cogetur. Congressum moderabitur illustrissimus Instituti Praeses. Petrus Romanelli, aderintque clmi. viri et professores ex fere omnibus Europaeae Universitatibus.

Hae quaestiones praecipue a peritis agitantur:

1. — Quid lingua latina ad cultum hodiernum afferre potest?
2. — De institutione linguae latinae per orbem.
3. — De philologia atque litteris latinis nostra aetate.
4. — Fieri potest ut lingua latina hominum nostrorum temporum sit lingua?

Ex quo Congressu inter nationes uberrimos fructus nos percepturos speramus.

Nova Consociatio hispanica condita est, qua proponitur apud nos fovere studia atque disciplinas quae ad linguam et cultum orientis spectant. Consociationem quae Matrivi sedem habebit, hi clm. viri moderabuntur: Martinus Almagro praeses, cl. v. Castejón qui pro praeside erit, cl. v. Lacave aërii praefectus, cl. v. P. Pareja scriba; quibus adduntur consilii membra: cl. v. Arnaldich, Bosch Vilá, P. Celada et Tarradell.

Consociatio disciplinas seu quaestiones de Arabia, Aegypto, Iaponia, India, Irania, Iraquia, Corea, de cultu Sinensi, hebraico, Graeco, Turco complexabitur. Quae nova consociatio maximo plausu ab omnibus rerum Orientalium amicis accepta est.

XIX Centesimum annum a Lucii Annei Senecae obitu agentibus, plurimae per orbem acroases, disputationes, colloquia ut illustris philosophus Cordubensis plenissimis laudibus afficiatur a peritis habita sunt. Si scire vis, lector, quomodo scriptores professoresque Hispaniae operam suam ad hoc anniversarium annum peragendum consociaverint, quibusque scriptis et commentationibus L. Annei Senecae memoriam coluerint, lege quae de re, summam proposita, in Commentariis quibus est inscriptio "ESTUDIOS CLASICOS" VIII pag. (263-264 et IX pag. 286) curiosis praebentur. Et Summi Pontificis vox qui L. Senecam vehementer admiratur, universo pro Seneca choro miscetur. En gravia verba quae adstantibus illustribus viris hispanis Paulus VI protulit:

"Asserendum est Senecam numerari debere inter viros illos totius orbis praeclarissimos qui non tantum digni sunt quos in memoriam revocemus, sed etiam et commemoremus atque celebremus, licet novemdecim sint saecula ex quo L. Seneca spiritum ediderit".

Opera classica latina discis sonantibus imprimuntur. — Domus editrix italica nomine "EDIZIONE DISCOTECA DI STATO" (Roma, Via Alpi, 9) in lucem proferre constituit corpus discorum parvis sulcis incisorum, cui est inscriptio "*Antologia sonora della Letteratura Latina*", quod a clmo. viro summoque latinarum litterarum cultore Vergilio Paladini selectum atque lectum paratum est. Quo confertur ad annum bis millesimum agendum a Cicerone mortuo.

Primo disco —appellatione italica enuntiati— loci selecti continentur Ciceronis (*De inventione* I, 1-4; *Philippica* XIV, 31-38; *Ad Quintum fratrem*, Epist. I, 18-28; *In Catilinam oratio prima*, paucae tantum paragraphi et *De officiis*, III, 121.) Libellus additur quo breve proemium colligitur, textus latinus disco incisus et versio italica. Neglegentiam tamen animadverti videtur cum fragmento *De officiis* et textus latinus et versio italica desit. Alter discus

quo fragmenta appellatione classica lecta incisa sunt, ad homines doctrina **excultos destinatur**. Quo disco loci quoque Ciceronis seliguntur (*Tusculanarum disputationum*, I, 18-35; *De oratore* I, 1-23). Tertius discus, cujus textus juxta editionem criticam cui titulus *Corpus Paravianum* est transcriptus, poetis latinis dicatur. Quo disco fragmenta omnium metrorum Catulli et Horatii continentur.

Non est ergo dubium quin hi disci ad Ciceronem vivum reddendum et ad litteras latinas maximi habendas atque fovendas valde juvaturi sint adjuvamentoque magno certe futuri alumnis scholarum institutionis mediae et universitatum qui sese versibus metiendis exercent.

Hoc addere oportet, quod si latina poesis ut cantetur composita est, nobis placuisset et aliis, —poesis latinae artisque numerorum amicis—, rationem seu formam modulationis ad manus habere, ut omnibus Catulli atque Horatii metris adhiberi posset.

Inventa Archaeologica. — Prope urbem Almendralejo in Hispania antiquum sepulcrum et amphora ex creta cocta effosa sunt quibus hominum reliquiae continebentur. Quae inventa ad aetatem Romanae dominationis videntur pertinere.

—Ad Vallisoletum in loco cui est index "*Consaeptum Sancti Isidori*" villa Romana fossa est variis cubiculis, balineo ornata quae mirum opus tessellatum praebet. Villa ad annum 250 a. Ch. n. a rerum archaeologicarum peritis adscribitur.

Novi Commentarii periodici in lucem dantur. — Omnes litterarum cultores libenti animo certiores facimus de novis in lucem proditis Commentariis quorum est index VOX LATINA quosque Dr. Hans Werner (8.012 Ottobrunn, Spitzwegstrasse 1, in Statibus Foederatis Germaniae) moderatur. Quibus Commentariis, hac nostra aetate qua latinarum litterarum studium frigescit inque dies decrescit, salutem plurimam dicimus. Nam VOX LATINA quae "amicis gaudium, magistris comes, discipulis fructus" esse cupit, sibi proposuit fovere, promovere, vivam usu facere "*hanc linguam praestantissimam, cujus scientia Romanorum antiquorum monumenta litterarum recognoscimus et omne genus innumerabilium librorum saeculis posterioribus compositorum*". Nobis primum hoc fasciculum legentibus maximam paravit voluptatem. Delectati enim sumus sermone latino fluido, limato, facili, modo scribendi humanitatis atque gravitatis pleno, commentariis clarissimorum scriptorum, quibus de vocabulis novis agitur, ad magistrorum et alumnorum usum utilissimis. Non desunt quoque epistulae, aenigmata, musica quibus Commentarii amoeniores redduntur. "*Nam Commentariis VOCIS LATINAE*

propositum est varietate multiplici, qua plurimorum animi mentesque capiantur laetificandae, tam nova quam vetera proferre scitu digna”.

Valeas ergo, vigescas, floreas, VOX LATINA!

Lingua Latina, quae mortua a quibusdam creditur eisque ab omnibus qui eam —veterum sapientiae servatricem— minimi ducunt, adhuc his nostris temporibus cultores habet habetque multos quibus Latinitas vivida, hodierna evadit, atque ad usum hominum adhiberi etiam potest. Et poetae sunt latini qui res antiquas, patrias vehementer canunt quique poemata vernacula nostrae aetatis latine summa arte reddunt. Quod est argumentum sermonem latinum ductilem esse ad omnia nostra optime exprimenda. Cujus rei, en carmen a femina Sylvia Lorenzo hispanice scriptum, quod latine cl. sacerdos Emmanuel Briceño interpretatus est:

*Nada ha cambiado, madre... Tal como tú querías:
el viento del oriente navega en la mañana;
y el cielo circunscribe su azul a tu ventana,
y en los pinares anclan doradas travesías.*

*Los ruiseñores vuelan de azules lejanías
al gozo de tu mano de pan honda y cercana;
las mirlas aproximan el alba, y la campana
despierta los geranios que tanto conocías.*

*El mismo aliento impulsa la fruta y la colmena;
todo está igual, exacta la tierra que viviste:
sólo que ya no tiene sentido ni faena.*

*Y llevo un traje negro, y dicen que ando triste
por este laberinto de la ciudad ajena,
donde nadie me espera desde que tú te fuiste!*

En interpretatio latina versibus distichis facta:

*Nil mutatum est... Mane a terris ventus eoīs
—ut cordi tibi erat— navigat, alma parens;*

*diffiduntque tuis lucem aethera glauca fenestris
ac in pinetis semita dormit amans.*

*Gaudia, panem iterum suavem, longinqua remigrat
quaerens sed manibus vae! philomela tuis.*

*Et merula auroram revocat; sonitusque micantes
campanae flores excitat; urget amor!*

*Nil mutatum est... Vi —ut quondam— telluris eadem
pellitur hinc illinc fructus et agmen apum.*

*Mens sed vivendi pro! jam mihi nulla renidet:
vestibus incedo tristis in urbe nigris...*

*Scilicet incertam per compita nemo vagantem
me manet, ut scio te longe abiisse, parens!*

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.
In Seminario Alabonensi
—ad Caesaraugustam— Professor.

IN MEMORIAM

JOSEPHUS HOLZER, director gymnasii Saarludovicensis idemque magister scientissimus linguae latinae, quam summopere diligebat usuque plurimum excolebat, duodesexagesimum agens annum die 17° m. Decembris anno 1965° jecoris morbo praemature decessit amicis dilectissimus suisque semper maxime desiderabilis.

P. C. E.

BIBLIOGRAPHIA

HAMLETI TONDINI. — *Inscriptiones Latinae ad honorem Pii XII Pont. Max., compositae*. Con traduzione italiana, typis polyglottis Vaticanis a. MDCCCCLXV (Libreria Editrice Vaticana. Città del Vaticano), Pag. 80.

Hic libellus nitidus et splendidus et perjucundus titulorum in honorem Pii XII, Summi Pontificis Romani, variis occasionibus sollemnibus, anniversariorum potissimum dierum, datis conditorum mirum in modum documentum est et monumentum, quo sententiis scientissime scriptis enuntiantur et referuntur, qua illis annis discrimen summorum in animis hominum versabantur et sentiebantur fiducialiter patrem pastoremque pastorum respicientium ipsiusque eloquia filialiter attendentium. Haec laudum precum votorum elogia jam alibi variisque locis in publicum primo proposita nunc undique in unum collecta et secundum ordinem temporum per plus sexaginta paginas pulchre disposita ita exhibentur, ut verbis Latinis paginarum sinistrarum respondeant dextrarum paginarum versus a Rodomonte Galligani commode diligenterque italice redditi. Praeterea in octogesima pagina index invenitur, quo cunctae inscriptiones numero triginta quinque continentur. Sed initio post ipsius tituli inscriptionem Hamletus Tondini, vir etiam multis aliis elogiis eleganter concinneque conceptis celeberrimus, pauca praefatus dicit se votis amicorum commotum id studuisse, ut Pii XII de salute hominum optime et mirifice meriti memoriam criminationibus nefarie

fictis obscuratam honorifice recoleret. Qui peropportune illa verba Senecae rei aptissima attulit, quae sunt haec: **ingratus qui beneficium accepisse se negat, quod accepit; ingratus, inquam, qui id dissimulat; rursus ingratus, qui non reddit; at omnium ingratisimus, qui oblitus est (benef. 3,1).**

Singulis autem elogiis autem rerum, angores hominum, portenta belli legentibus aliquatenus ante oculos ponuntur. Nam jam primo die anniversario, postquam Pius XII ad cathedram Petri evectus est, saeculi mare magnum antea tranquillum flatibus procellarum, id est simultatibus populorum, nimium quantum quatitur (cf. nn. 1-2). Quibus cruciatibus concussi currunt ad communem patrem populi, qui tumentes undas componat affictosque filios consoletur (cf. nn. 3-5). Porro praeter calamitates gentium et damna cultus civilis et odia nationum aemulationibus exitiosis aucta commemorantur gemitus et flectus et cruores hominum ruinis bellicis vexatorum. His condicionibus Pius Pontifex, magister veritatis caritatisque idemque defensor inermis libertatis ab armipotentibus multum despectus, appellatur invocatur aditur (cf. nn. 6-10). Qui post bellum confectum viribus contentis beneficiisque collatis id studet, ut miseris infortunatisque opem ferat a divitibus petitam, quibus subsidiis vulnera curentur et damna sarciantur (cf. nn. 11-14). Idem post cladem ingentem atque inhumanam aliquatenus mitigatam magister humanitatis verae et doctor doctrinae divinae et conciliator concordiae communis salutariter exstitit, qui viam salutis pacisque ostendebat, errores inextricabiles coarguebat, denique quaestiones nobis rationibus

propositas mirabili studio singulari solvere studebat (cf. nn. 15-33). Tamen ille jam anno MDCCCCLVII suspicionibus contumeliisque petebatur, quae crimina sensibus animorum gratissimorum compensabantur (cf. nn. 34-35).

Hae res, quae sunt non mediocri momenti, elogiis non semel sermone paene poetico compositis convenientissime nobis posterisque traduntur. Quibus verbis ad rationem artis inscriptionum propriae artificiosissime conceptis animus mirum quantum afficitur. Idcirco editio horum titulum libello praestantissimo collectorum facta vere laudanda est cunctisque commendanda. Quo scripto scilicet is Pontifex Maximus ecclesiae catholicae decentissime celebratur, qui se adversus cunctos patrem verum praestitit et imprimis erga Germanos tum toto orbe infames amicis primus se praebuit feliciter immobilem et fideliter paternum.

CAELESTIS EICHENSEER, O.S.B.

GASPAROTTO, GIOVANNI. — *Isidoro e Lucrezio*. Padova. Società cooperativa tipografica. 1965.

Quam Isidorus ad Lucretium sit referendus adhuc non satis constat. Sunt qui plane asserant Isidorum multis suorum operum locis Lucretium imitari, alii vero scriptorem hispanum a latino pendere omnino negant. G. Gasparotto multa Isidori loca ad alia similia Lucretii refert ex quo prima sententia certior evadere videtur. Auctor de tonitruo in libris *De Natura rerum* et *De Originibus* praecipue disputat.

TEOCRIT. Idyllis. (vol. II) Per Josep Alsina.

POLIBI. Història, V. Per Manuel Balasch.

VIRGILI. Geòrgiques. Per Miquel Dolç.

SALLUSTI. La guerra de Jugurta. Per Joaquim Icart.

QUINTILIA. Institució Oratòria (vol. II) Llibre II. Per J. M. Casas i Homs.

CICERO. Discursos. (vol. IX) Sobre la llei agrària. Defensa de Gai Rabiri. Per Josep Vergés.

SOFOCLES. Tragèdies. (vol. IV) Ediva a Colonos. Els sàtirs rastrejadors. Per Carles Riba i Manuel Balasch.

XENOFONT. Ciropèdia. (vol. I) Llibre I. Per Núria Albalull.

TACIT. Annals (vol. II) Llibres III-IV. Per Miquel Dolç.

Fundació Bernat Metge. Barcelona. 1964-65.

Jam diu in votis erat ultima collectionis "Bernat Metge" volumina Palaestrae Latinae lectoribus recensere. Et primo alterum Theocriti volumen, a claro viro J. Alsina, in universitate Barcinonensi linguae Graecae professore, apparatu critico exornatum atque in catalaunicum sermonem versum, inspiciamus. Volumen quindecim Bucolica carmina continet. Unicuique carmini praefatio quaedam praepositur, quam textus Graecus et catalaunica interpretatio sequitur. De vita et modo dicendi Theocriti, quo modo textus et editiones ad nos pervenerint jam satis in primo volumine ab ipso doctore Alsina, dictum est.

Historiam Polibii —libros IV-V— in collectione Bernat Metge primo Antonius Ramón multos jam abhinc annos quattuor voluminibus edendam curavit. Sed jam inde ab anno 1935 editio intermissa fuit. Quae vero hodie, opera Emm. Balasch, philologiae classicae doctoris, velut nova apud nos renascitur. In quinto hoc volumine fragmenta librorum VI-VIII eduntur.

Vergilii operum duo adhuc volumina in hac eadem collectione edita sunt,

aliud Eclogarum, aliud vero Georgicon quae quidem Valentiae in Universitate doctus professor Michael Dolç accurate paravit. In primo volumine, jam diu vulgato, auctor de iis omnibus quae ad Vergilium pertinent, diligentissime investigavit, id est de vita et de operibus, de codicibus et editionibus quibus textus ad nos transmissus est, deque plurimis scriptoribus quos omnibus fere temporibus habuit poeta mantuanus. Huic alteri volumini praefationem amplissimam de Vergilii georgicis auctor etiam praemittit. Notandus tandem est sermo catalaunicus doctoris Michaelis Dolç qui magna suavitate legentis animum conciliat.

Sallustii "Bellum Jugurthinum" bellum illud narrat quod a romanis adversus Jugurtham ab anno 111 ad 105 ante Ch. n. gestum est. Jugurtha bello numantino interfuerat, quo summam laudem sibi pararat. Postea vero stimulis gloriae concitatus, adversus principes. Numidarum arma movit. Sed ipsa Roma in eum arma cepit et, primo Metellus, deinde Marius, victoriam consecuti sunt. Etiam de Boccho, Jugurthae socero et de Sulla Sallustius verba facit. Tandem quo modo Marius Romae triumphaverit paucis explicat. Sed Sallustius saepe numero in narrando a proposito digreditur; terras Africae ejusque primos incolas describit, quae sint Romae contentiones partium exponit et multis in locis morum et virtutis magistrum se praebet.

Quintiliani Institutionis Oratoriae alterum volumen etiam lectoribus nuntiamus. Quintillianus imprimis magister est ac paedagogus qui cujusdam amici rogatu "Institutiones Oratorias" scripsit quibus perfecti oratoris mens et animus conformari deberent. Ejus tamen praecepta non omnino sancita apparent ita ut orator ea servare semper teneatur. Hunc sibi finem eloquentiae proponit ut orator scilicet,

ornate dicat. Ex quo fit ut magnam utilitatem homini afferat. Praeterea verum est Quintilianum interdum modum dicendi adhibere jocosum ac mordacem, sed saepissime ejus sententiae graves ac dignitatis plenae effluunt.

Ciceronis octo jam volumina in collectione —Bernat Metge— prodierunt. In hoc IX tres orationes de lege agraria et oratio pro C. Rabirio eduntur. Textus legis agrariae nos latet, ex quo vis harum trium Ciceronis orationum intellegi potest quae tantam cum illa lege rationem habere videantur. In multis aliis lex agraria immensam atque sterilem turbam agrorum qui Romam se contulerant ad campum iterum reducere intendebat. Cicero legem vehementer increpat et qua erat praeditus facultate dicendi adversarios devincit. Tum inimici, offensione permoti, C. Rabirium reum agunt, quem vero defendendum Cicero suscipit. Rem prospere evenisse ex eo colligimus quod Rabirium ab exilio liberatum, bonisque suis fruentem videmus.

In Sophoclis IV volumine Collectionis B.M. in prima parte **Oedipum Coloneum** invenies. Sophocles quidem Coloniae apud Athenas natus erat. Quid mirum si in hac tragoedia quam ultimam scripsit quaeque inter optimas numeratur, suam patriam maximis laudibus extollat? Oedipum senem tragicus graecus patria pulsum multasque per terras errantem facit, qui Coloniam, patriam Musis et Dionysio caram, ubi clari sunt fontes et floridi atque virentes colles, ubi nemora mille avium concentibus personant, adveniens, tandem veniam et pacem a diis impetrat, et a quadam arcana voce arcessitus, inter deos evanescit. In altera vero parte fabula satyrica "Indagatores" apponitur quae quidem valde mutila quodam in papyro ad nos pervenit. De Hermae boves Apollinis raptanti agit. Satyri et Silenus Hermae vestigia insequentes eum in

antro Cyllenes inveniunt, sed adeo horrissonus strepit instrumento quod nuper ipse condidit, ut illi fugae se praecipites mandare teneantur.

Nescimus equidem quo consilio Xenophon suum opus scripserit, nec quare Cyropaediam illud appellaverit: Ille quidem de optimo duce quaerendo sollicitus esse videtur ejusque naturam ac morum conformationem considerat. Itaque de primis vitae annis Cyri Majoris agit. In capite altero descriptam inveniemus juvenum persarum et praesertim ipsius Cyri institutionem. Xenophon quamdam quasi militarem institutionem defendit quae disciplina et corporis viribus nitatur. Sed cum miles homo imprimis sit animi virtutes praesertim commendat. Summam Imperii regi traditur cui tamen legibus patriae semper parendum est. Ipse rex tum potestate tum scientia tum virtutibus vere superior esse debet. Quo fit ut Cyropaedia non liber historicus sit sed potius quaedam quasi historica fabula quae diversissimæ genera in se contineat ut historiam, fabulam, dialogum socraticum, bellum, res domesticas et civiles atque morum scientiam.

Taciti Annalium Collectio Bernat Metge volumen primum jam pridem vulgaverat. In hoc altero volumine, quod hodie in lucem editur, libri III et IV operis Taciti includuntur; Tacitus quidem in libro III de trium annorum factis agit, id est annorum 20, 21 et 22. Appulsu in insulam Corcyram narratio initium capit; in fine vero mors Juniae, Catonis neptis, narratur. Liber IV sex annorum res complectitur, ab anno 23 ad 28. Ineunte libro Tacitus Sejani, cohortibus praetoriis praefecti, originem, mores dominationisque studium exponit. In fine de Agrippinae nuptiis cum Cn. Domitio scriptum invenimus. Clarus vir M. Dolç textum recognovit atque in catalaunicum sermonem convertit.

JESUS ASPA, C.M.F.

ESTEPA, J. M. — *Jesús, yo soy tuyo*. Versión y adaptación castellana de J. M. Estepa, Pbro., del texto alemán preparado por el Vicario General de Aquisgrán. Editorial Herder, Barcelona 1965, pág. 48.

Libellus hic, qui ex imaginibus, quas praebet, versicoloribus puerorum oculos haud dubio alliciet, vitae christianae est revera compendium. Loci enim Evangeliorum, Catechismi textus simplici modo propositus, orationes breves in Deum et in Deiparam — lepidissimis picturis ornata — plurimum valebunt ad animos puerorum pietate et fingendos et colendos. Quod jam in brevi prooemio ab auctore promittitur. Ad hanc libelli efficacitatem praeterea tum verborum tum imaginum vividarum faciliisque captu dispositio maxime etiam inserviet. Qui ergo hoc libello puerum donaverit, operam ei dabit egregiam. Opella haec iis libris additur quos domus editrix Herder in lucem edit, quae veram bibliothecam catechismi catholici constituunt.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

MARINELLI, GENNARO. — *Latino "laico" e latino "sacerdotale", a proposito di una celebrazione petrarchesca*. Tip. "Agar" Napoli, 1964. Pag. 11.

Brevi hoc fasciculo de lingua latina "laica" et "sacerdotali" apud Petrararcham movetur quaestio. Quae quaestio a cl. v. Josue Carducci proposita — occasione oblata qua festum quinti anni centesimi a mortuo Petrararcha agebatur — nunc ab illustri viro Gennaro Marinelli dilucide solvitur.

Cl. v. Carducci acerrime propugnat Petrararcham, ut ita dicamus, quasi Europam perlustravisse, "**meravigliata**

di quella classica novità di stile”, dando vita col suo latino “laico” contrapposto al latino “sacerdotale”, ad una “repubblica delle lettere”, “tutta morale”, “tutta moderna”, non più soggetta “al potere ecclesiastico e feudale”. En alia v. Josue Carducci quibus Petrarca renuntiatur “vero padre del Rinascimento, perchè promosse la ricerca degli antichi autori per tutte le città d’Italia”... Quarum assertionum causa seu fundamentum haec est Carducci sententia: “perchè rese laico il latino, di sacerdotale che era”.

Verba alia cl. v. Josue Carducci afferre possumus quae in latinum “sacerdotale” sane quidem acre odium et in Ecclesiam... resipiunt, quaeque cl. scriptor Januarius Marinelli docte rejicit, labefactat. Auctor enim asserit discrepantiam (“dualismo linguistico” a Marinelli appellatur) quam Josue Carducci invenit inter linguam latinam laicam et sacerdotale “non è, semmai, che un diverso modo di divulgare la dottrina della Chiesa, la quale, se in campo comunemente didascalico, teologico o morale, indulge alla forma —ed intende farlo anche oggi, per una maggiore diffusione della lingua ed un più facile intendimento delle verità insegnate, come appare dai risultati di congressi e convegni specifici—, in campo culturale, invece, non è affatto disposta a deflettere dalle norme più rigide del classicismo, come appare da Encicliche e Costituzioni Apostoliche, anche recenti...”

Quod ut validius probetur Januarius Marinelli carmen religiosum a Petrarca conditum affert quo Petrarca modo dicendi fluido, eleganti, polito, vere classico Mariae Magdalenes historiam celebrat.

Ex quibus omnibus haec est, quam cl. v. Marinelli infert, conculsio: “Antistorica e antireligiosa è, dunque, l’impostazione che il Carducci vuol dare parlando dell’ umanesimo del

Petrarca, alla sua concezione dualistica della funzione del latino”.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

DE VILLAMONTE, ALEJANDRO. *Teología de la Confirmación*. Vol. 62 Pequeña Biblioteca Herder. Editorial Herder, Barcelona, Pág. 84.

Teología del Bautismo. Vol. 63 Pequeña Biblioteca Herder. Editorial Herder, Barcelona, Pág. 120.

Theologia Confirmationis non tantum quoad conspectum scientificum sed etiam quoad usum pastoralem, a peritis his nostris temporibus pervestigata est. Tamen affirmari potest nos nondum habere theologiam confirmationis satis enodatam. Ideo auctor, consilio ac mente quae ad vitae experientiam spectat ductus, ea fere tantum colligit ac perspicue de confirmatione exponit quae ad praedicationem, animarum curam, ad vitam spiritalem tam singulorum quam omnium hominum referuntur.

Altero libro qui “Teologia del Bautismo” inscribitur, cl. sacerdos Alexander Villamontanus de Baptismo disputat cujus doctrina hodie apud omnes Theologos viget. Quam ob rem scriptor animum advertit ad nonnullos conspectus ditissimae Theologiae Baptismi.

Duo hi libri ad voluminum seriem pertinent quae de Theologia evulgat illa quae appellatur “Pequeña Biblioteca Herder” quaque ab eodem auctore sunt parata.

En brevis hujus libri “Teología del Bautismo” index: 1. In Ecclesiae mysterio. 2. Vita Christiana continuo renascitur. 3. De Charactere Baptismi quo sacerdotii Christi participes fimus. 4. De Baptismo quo nos Beatae Trinitati consecramus. 5. Nova mens.

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.

NOVAK, JAN. — *Passer Catulli*, Hudebni Hricka. Basso solo e 9 stromenti, Praga 1965, Pag. 32.
Ludicra, 1965.

Libenti animo fasciculos hos legentibus offerimus a cl. scriptore et musico J. Novak in lucem proditos. De quo auctore haec pauca accipe: Natus 8 m. Aprilis a. 1921 in oppido Nova Rise, studia musica in Conservatorio Brunensi apud musicos praestantissimos exercuit. Una cum musica, literis latinis vacavit. Varia sunt opera latina quae cl. v. Novak musicis numeris tractavit. Ex quibus commemorare licet hae quibus nomen: **Horatii carmina**, quae nobis et ad manus habere et audire maxime placeret, **Dulces cantilena**, **Tres cantiones in poetas latinos hodiernos**, **Passer Catulli** cet.

Passer Catulli parvus est ludus musicus de vita et morte passeris Catulli novem instrumentis —tibia traversa, tibia, tibia clarisona, fagoto, violina, viola, violina ampla, fidibus soni gravissimi— et voce gravi modulandus. Qui Passer Catulli duabus constat partibus: quarum prima tantum instrumentis, altera et instrumentis et voce gravi exprimitur.

Fasciculo altero octo continentur **Ludicra** seu oblectamenta quae ex dispositione, typographia vere hodierna, ex textu maximam praebet legenti delectationem. Lege fragmentum cuius est titulus "**Plena luna**":

in plenilunio
cano
etiam canis canit
in plenilunio
in plenilunio
canimus ego atque canis
canis et tu in plenilunio?
io!
unio mei atque canis
in plenilunio!

Ex quibus lepidissimis acceptis — musica et ludicris— grates J. Novak persolvimus.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

LOPEZ GARCIA E., S.F. — *Tú ¿quién eres?* Examen de conciencia litúrgico-Mariano; Eugenio Subirana, Editorial Pontificia, Puertaferri, 14, Barcelona (2), 1964, Pág. 204.

In promptu habes, lector humanissime, librum parvum, pulchellum, quo auctor novam viam seu methodum in se inquirendi docens, quamque liturgicam-marianam appellat, sibi proponit antidotum efficacem praebere adversus rationes illas —obsoletas dicam— "**verdadera oxidación ascética**", sine quo anima nostra una ex praecipuis armis et ad pugnandum et ad vincendum careret. Quare cl. scriptor B. Virginem proponens ut vitae spiritualis speculum, ad fontem illum accedit liturgiae, qui ad vitam aeternam salit.

Summatim: unusquisque dies festus B. Virgini dicatus, qui per annum aguntur —quibus alii dies quorum eadem B. Virgo particeps fuit—, duobus praefationibus et quinque punctis constat quae textibus et locutionibus liturgicis selectis fulcita ad animam movendam et collustrandam sunt aptissima.

Quem succosum librum maximo futurum esse et solatio et juvamine omnibus Christifidelibus pro certo habemus.

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.

PISANI, VITTORE. — *Storia della lingua latina; parte prima: Le origini, e la lingua letteraria fino a Virgilio e Orazio*. Rosenberg et Sellier, Via Andrea Doria, 14, Torino. Pag. 364.

Notissimus est apud latinarum et graecarum litterarum cultores cl. v. Victor Pisani, qui nonnullos libros auctoritate summa praeditos, ad linguas indoeuropaes pertinentes conscripsit, nunc vero opus hoc maximum aggressus est cuius est titulus "**Manuale storico della lingua italiana**". Quod opus quattuor constat voluminibus: vol. I: **Storia della lingua latina**; vol. II: **Grammatica latina storica e comparativa** (1962 - III^a edizione); vol. III: **Testi latini arcaici e volgari** (1960 - II^a edizione); vol. IV: **La lingua dell' Italia antica oltre il italiano** (1953). Volumen vero primum duabus constat partibus: parte prima cui nomen "**Le origini, e la lingua letteraria fino a Virgilio e Orazio**", quem librum nostris lectoribus nunc offerimus; et parte altera "**La lingua letteraria post-classica; il latino volgare**" qui ab auctore edendus paratur.

Si libri indicem, lector, consulueris librumque ipsum —quamvis sit leviter — voveris, de opere agi animadvertes quod peritis haud dubio maxime probabitur. Cap. I — **Storia linguistica** (pag. 1-19); cap. II — **L'unità linguistica indeuropea. La legge fonetica. Ricostruzione**, (pag. 19-60); cap. III — **Le lingue dell' Italia antica** (pag. 76-95); cap. IV — **Il latino fra le lingue indeuropee** (pag. 95-146); cap. V — **Tradizioni non protolatine nel più antico latino** (pag. 146-165); cap. VI — **Il latino arcaico fino a Catone** (pag. 165-179); cap. VII — **Fondazione della lingua letteraria** (pag. 179-226); cap. VIII — **La lingua della poesia, da Ennio a Lucrezio** (pag. 225-297); cap. IX — **L'età ciceroniana** (pag. 297-331); cap. X — **L'età augustea: Virgilio e Orazio** (pag. 331-364) Caput quartum, nostra sententia, maximi est ponderis.

Auctor, cuius haec sunt in praefatione prolata verba "**ho visto che non potevo sbrigarvene con ripetere più o meno quanto era stato detto sinora in opere egregie...**", eruditissimum in

libri argumento evolvendo et scribendo se praebet atque peritissimum. Quo dignus est qui summis laudibus ornatur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

F. et M. DE KISCH, P. VINCENT. — *Liber quintus*; Les Editions O.C. D. L.; 65 Rue Claude-Bernard, Paris V^e, 1963. Pag. 128.

Quem vobis praebemus, alter est fasciculus libri quinti, qui a clm. Professoribus F. de Kisch, M. de Kisch et P. Vincent exaratus, moderante Roger Gal, evulgatus est. Hujus est libri quinti dispositio:

1 — **Textus** in primis proponitur sive poetae sive prosae orationis scriptoris (v.g. Ciceronis, Caesaris, Horatii, Petronii...) id est hominum illorum antiquitatis classicae qui ob artem, ingenium, cogitatum aliasve virtutes adulescentium oculos ad se convertere possunt. Textui notula praeit qua nonnulla de scriptore exponuntur.

In ima pagina apponuntur:

2 — **Quaestiones grammaticae** in genere sive scripto sive voce propositae, quibus versio collustrari potest.

3 — **Exercitationes** brevissimae quaestionibus grammaticae dicatae, quae difficultatem specialem habent.

4 — **Notae** quae ad aestheticam spectant, quibus conversio luminosior redditur. Quae omnia in eadem pagina offeruntur.

In altera pagina praebetur:

5 — **Series vocabulorum** brevis quae, bassica majorem partem, ex Carnet M. Mathy desumpta sunt.

6 — **Spatium liberum**, cui est inscriptio "**Notes prises en classe**", quoque alumnus quaestiones, difficultates solutas notare poterit.

Paucis verbis, auctores opus perfecterunt simplex sed optimum, quod

diversis magistris et alumnis aptari poterit.

Liber constat ex prooemio (pag. 45), sexaginta thematibus (pag. 7-125), indice vocabulorum (pag. 126) quae ex Mathy non sunt collecta et indicibus generalibus grammaticae, auctorum, textus (pag. 127-128).

Hoc ex libro quinto maxime nobis placet, quod via nova, simplex "le latin par les textes" magistris proponitur.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

G. BERNARDI PERINI. — *L'accento latino, cenni teorici e norme pratiche*; pag. 144. Casa Editrice Prof. Riccardo Pàtron, Bologna 1964.

Antiquorum scriptorum et grammaticorum praecepta, quae in explicando accentu latino versantur, hoc libro scienter attentoque animo considerantur atque investigantur. Ac primum cl. vir G. Bernardi naturam accentus latini perpendit —utrum melodus sit an intensivus—, et quid antiqui et recentiores scriptores de eo sentiant; in syllabarum naturam exquirendam incumbit —quas varia ratione distinguit ac nova appellatione, recentiore saltem, syllabas nominat—, leges, quibus syllabarum quantitas regitur, tradit; ipsiusque accentus latini leges —commemoratis Ciceronis et Quintiliani locis— apte definit, easque firmas perpetuasque perstare asserit, et, quae exceptiones vocantur, earum potius explicationes seu derivationes esse vult; in quibus numerantur encliticae, vocativa ut *Váleri*, *Vérgili*, composita ex verbo *faci* —ut *calefácit*—, alia. Normae quoque traduntur quibus errores in acuendis vocibus facile detegantur; index exhibetur quo vocabulorum similium sensus ex accentu perspicue patet; alio vero indice verba, e latino in italicum sermonem

deducta, mutato accentu describuntur; qua tandem ratione vocabula graeca acuuntur, disseritur.

Totam rei materiam auctor cognitam atque pervestigatam habet; praecipui Ciceronis et Quintiliani memorantur loci et Grammaticorum qui a saeculo IV materiam sedulo pertractant, atque recentiorum sententias copiose referuntur. Res eo estudio eaque claritate exponuntur ut legentis animus in Auctoris sententiam adducatur.

Attamen, si attentius argumenta perpendantur, id intellegitur rem non prorsus compertam et exploratam esse; nam etsi praestantissimi scriptores idem sentiant, sunt et alii qui tota sententia dissideant, cum Ciceronis, Quintiliani, Gellii verba in alium sensum derivari haud facile sit; resque certo in dubio est —idque fatendum erat— cum Grammatici saeculo IV post Chr. n. leges accentus praescripserint. Qua moti ratione nobilissimi grammatici recentiores —ut Leumann-Hofmann-Szantyr— cum de re loquuntur id probe adnotant ex grammaticorum placitis has tradi leges, quod et P. Laurand (*Manuel des études gr. et lat.* 13, t. II, *Grammaire*, pag. 409, n. 13) significat: "Quelques détails restent douteux: on n'est pas sûr que les règles données par les grammairiens du IV^e siècle aient été appliquées à la époque classique...", atque P. Llobera (*Grammatica class. latinitatis*, Subirana Barcinone 1920, p. 16-18 in ima pag.) auctoritate fretus Nebrissensis, Perpini, Alvari, Luciani Müller, aliorum contra sentit praesertim cum Quintiliani verba alio intellegi sensu nequeat: conferantur loci: 1,5,31; 12,10,33; 1,5,24 *Inst. orat.* —Haec igitur adversariorum sententia saltem commemoranda erat.

Liber tamen summam quaestionum refert ac magni quidem habendus est alumnis iisque qui totam materiam inquirere velint.

CALIO GIUSEPPE. — *Il latino cristiano*; pag. 177. Edizioni Pàtron, Bologna 1965.

Praelectiones, quas in Seminario regionali Catanciensi Professor Josephus Calìo Theologiae alumnis tradiderat, hoc libro complexus est; in quo, quae ad sermonem christianum spectant, pertractat.

Jam inde ab origine linguae latinae exordium sumens qua ratione sermo christianus enascatur, progrediatur, varia rerum ac temporum fortuna varietur, culmen adipiscatur, tandem exstinguatur, evoluit.

Quid e Romanorum lingua litteraria in lexico et in syntaxi commutatum sit; quid in nascentem christianorum linguam Minutius Felix, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Hilarius, quid vero Ambrosius, Augustinus, Beda contulerint; quae fuerit linguae christianae "litterariae" de sermone christiano "vulgari" victoria; qua ratione sermo vulgaris medii aevi in linguas romanicas diducatur; quam in tantam rem Carolus Magnus, Alcuinus, Sanctus Bernardus operam et studium collocaverint; quem locum "stilus curiae romanae", ac sermo in scholis usurpatus, in reddendis Sacris Scripturis, in precibus ad Deum admoventis; quae tandem partes oratio prosa et poëtica in lingua latina christiana habuerint: haec sunt varia rerum argumenta quae a Prof. Calìo attinguntur.

At libros qui in schola sunt nati alumnisque superioribus destinantur, superioribus quoque virtutibus ornari oportet, illa in primis in dicendo subtilitate, totius rei accurate, aliorum scriptorum investigatione: quibus scholares libri praefulgere debent ut alumni in studiorum curriculo manu ducantur. Praeterea, nonnullae in opusculo intercidunt sententiae quibus haud facile acquiescere liceat, ut cum de "mitho" aetatis aureae loquitur auctor, et cum classicos scriptores minus habet et cum impetum facit in scriptores qui in renovandas seu instaurandas humanas classicasque litteras et artes toti incubuerunt: qui, ut ipse censet, et "in maximo errore et damno fuerunt" et "in summo archaismo linguistico et litterario", atque linguam litterariam et christianam una pariter in ruinam verterunt. Nihil scilicet restat ex optimis illis scriptoribus sive aureae aetatis —quam ipse fuisse negat— sive ex iis qui redintegratam humanitatem summa moderatione et gravitate excoluerunt atque instaurari voluerunt —si tamen paucos ex eis fuisse concedamus—, nihil, dico, ex his restat quod laudetur?

Attamen, lingua latina sub fine libri bene excipitur, commendatur, contra nostrae aetatis adversarios defenditur: quae quidem non "mortua" est cum tot vitae significationes adhuc expromat.

Jos. M^a MIR, C.M.F.

RISUM TENEATIS

DE NATALIS DOMINI MUSICA

Postquam angeli ad Pueri praesepium cantu illo "*Gloria in excelsis Deo*" Natalem Christi celebrarunt, plurimae per orbem cantilenae sive vulgares sive classicae sunt compositae quibus festa Natalicia Domini agitamur. En pauca de his canticis.

Omnes Hispaniae regiones cantilenas habent suas easque dulcissimas: "*El diciembre congelat*" in provinciis Catalaunicis. "*Oi Bethleem*" in Vasconia, "*Co el vin virinvin*" in finibus Gallaeciae, "*Fuerte jaleo*" in Insulis Canariensibus, "*En Belén tocan a fuego*" in Castella, "*Hale y hale pun*" in Baetica... Ut in Hispania et in America Latina cantus ingenuitate pleni Bethleem Infanti canuntur: "*Apúrate, niñita*" in provincia Chilensi, "*Cholito toca retoca*" in Peruvia, "*Mi negro ta contento*" in Cuba, "*Zumba que zumba*" in Mexicana natione...

Praeter ea omnes fere musici classici opera musica Domini Natali dicata composuerunt: Joannes S. Bach ad praecentiones chori cantilenas vulgares, quibus Ch. Natalis celebratur, adhibuit; Fridericus Haendel in opere, cui nomen "*Mesias*", modulationibus nititur qui Natalem Domini resipiunt; Aloisius Victoria et Petrus A. Praenestinus modos in Ch. Natalis honorem composuerunt suavissimos. Musici hodierni ut Berlioz ("*Huida a Egipto*"), Arcturus Honegger ("*Cantata de Navidad*"), Gluck, Brahms modos fecerunt symphonicos ad Ch. Natalem agendum. Suntque etiam alii nostrae aetatis musici —Roy Ringwald ("*The song of Christmas*"), Irving Berlin ("*Oh Navidades blancas*")— qui cantilenarum Ch. Natalis suavitate et simplicitate allekti, cantus vulgares Natalis ad musicam classicam aptarunt.

Ex omni tamen musica quae in Festis Natalibus canitur nemo dulcior, plenior quam cantus ille per orbem notissimus cujus est titulus "*Stille Nach*". Cantus hic —cantus cuniarum austriacus— a cl. organario Francisco X. Grüber compositus in vico primum austriaco Oberndorf, anno 1818, a parcho Josepho Mohr —cujus verba erant cantilenae— cantatus est. Dicere possumus nihil pulchrius hoc cantu *Stille Nach* (una cum alio illo *Adeste Fideles*) ingenio musicorum inventum esse, nihilque aptius ad pacem universam celebrandam.

CERTAMEN SINGULARE

Tigris vasti corporis et strage satiat, quam fecerat, in paludem se abdidit. Statim Indus se ad configendum cum illo —armis carens— paravit. Parvus sed fortis, agilis, seminudus ad certamen descendit. Dextra manu gravem ferebat cultrum, acutum sicuti culter tonsorius. Bracchium sinistrum scuto coriaceo cingebatur.

Statim ut in paludem pervenit, quae erat angusta, fortis venator ad pugnam inimicum provocavit. Tigris cum Indum stabili firmoque gradu procedentem vidit, pedibus fremens terribiliter constitit... Indus vero presso pede oculis in feram coniectis appropinquabat. Tum tigris surrexit coepitque sua verberare ilia. Denique ut longius prosiliret in ventrem cubuit. Subito Indus sistit gradum. Tigris extollit caput, horrido fremitu ululat, protinus uno gradu in hostem prorumpit. Sed Indus celerrime corpus declinans, ferinum impetum clipeo continet cultrumque in ventrem immittit tigris. Qui neque vulnere devictus, ad proelium rediit. Indus denuo feram fulminea celeritate petens, postquam magnum cum ea certamen habuit, necat. Indus tranquille feram victam pelle spoliavit victorque ad suos discessit.

VINCENTIUS CLIMENT

APOLLO ET MERCURIUS

Quondam Mercurius, adhuc puer, ex cunis —matre absente— abiit atque ad divinas valles ubi Apollo boum armenta pascebat, venit bovesque quinquaginta raptos in antrum abscondit. In posterum diem puer Mercurius e lecto surrexit atque thesauros et aurum quae Apollini Delphis erant rapuit. Sed cum Apollo de re certior factus esset, ira motus, celeriter ad valles Thesaliaeque silvas descendit, Mercurium captum coram Jove duxit. Mercurius vero, quo facilius Apollinem sedaret, citharam quam testudinis concha extruxerat sumpsit, atque ea dulciter canere coepit. Quem ut Apollo canentem audivit, eum dimisit et pro divina illa cithara boum eum donavit armento.

ALOISIUS J. BARAT
(Alabonae ad Caesaraugustam)

«Tellis argenteis adorire»

Philippus, Macedonum rex et pater Alexandri, tantum auri distribuebat ut et custodes civitatum pecuniis vinceret.

—Haec est urbs inexpugnabilis et bene munita, —secum cogitabat—, itaque vero ut asinus auro onustus eam transire nequeat?

Ideo non erat urbs tam munita quin ad Philippum se dederet. Tantum his armis credebat ut Apollinis oraculum caneret:

—Telis argenteis adorire, omnia enim expugnabis...

Quamobrem fama ferebat: “Non tam Philippus quam pecunia ejus Graeciam debellavit”.

FRANCISCUS IMHOOF
(Rosarii in Argentina)

Vir quidam scientia excultus interrogatus est:

—Quo tempore hominis ingenium pluris ducis?

—Cum loquitur.

—Et feminae?

—Cum tacet.

EMMANUEL RUIZ

DE «CALCULIS»

—Cor tibi est certe validum, ex “calculis” tantum laboras...

—Id ego timebam, nam septingentas pesetas singulis mensibus lucror et septem sunt mihi filii...

ANTONIUS GÁLVEZ
V Cursus alumnus

Pisonis crudelitas

Piso imperavit ut miles quidam duceretur in mortem qui cum ex castris exiisset, eo non comitante redierat. Jam caput porrigebat in gladium cum repente comes adfuit. Centurio ergo jussit carnificem gladium condere. Sed Piso imperavit ut non tantum duo milites sed etiam centurio capitis damnarentur.

—Tu, inquit, quia accusatus de majestate, jam damnatus est capitis; tu quia causa fuisti damnationis comitis et tu tandem, centurio, quia imperatori non paruisti...

DIONYSIUS BELLO
V Cursus alumnus
in Seminario Alabonensi

—Velim filia mea pro clavichordio (*piano*) fidiculam (*violín*) pulset.

—Qua de causa?

—Quoniam fidicula facile per fenestram ejici potest.

HECTOR SARTOR
(Rosarii in Argentina)

NOVUM INVENTUM

Mendicus: Praebe mihi, domine, panis bucceam, quia abhinc tres dies nihil edi.

Erus: Juxta hujus aetatis inventa scientifica homo vivere potest quin cibum edat, per novem dies; redigitur intra sex dies.

XAVERIUS DíEZ

FRONDE NEMUS

Musica vulgaris

Verba J. ARAMENDIA, C. M. F

A

La la la la la la la la la la la
 la la la la la la la la la la la
 la la la la la Fronde nemus, va lles ro sis,
 lae to gramine te que tur ve re pra sa,
 ca runt a li tes, lu dunt ri uo li ze phy rus.
 que le vis flat in sil vis La la la la
 la la la la la la la la la la la la la la
 la la la la la la la la la la la la
 la la la

NOMEN CELATUM

Si puncta litteris mutaveris, in perpendiculum —quo stellulis notatur—, nomen scriptoris perillustris invenies.

.	.	.	.	x	.							Secas
.	.	.	.	x	.							Iter facis
.	.	.	.	x		Gladius
.	.	.	.	x		Essedum
.	.	.	.	x		Detrimentum attulero
.	.	.	.	x		Pressi

Excogitavit

CAROLUS GARCÍA

BIBLIOGRAPHIA

129

78

H. TONDINI - TH. MARIUCCI. — *Lexicon novorum vocabulorum*, quae e libellis LATINITATIS his decem superioribus annis vulgus editis excerpserunt H. T. - Th. M. - pag. 293; Desclée, Roma 1964.

Quanta fuerit diligentia et sollertia amplissimi viri Hamleti Tondini in edenda LATINITATE Vaticana ab Anno 1853 omnibus, qui linguam latinam excolunt, notum compertumque est.

Nuper autem, cum annus decimus ab evulgatis primum Commentariis verteretur, res plane laudanda Moderatoribus succurrit, ut peculiare componerent opusculum quo singulorum libellorum index describeretur et res omnes, quae in iis sunt pertractatae, paucis exponerentur verbis: quod quidem validum legentibus resque inquirentibus erit adiumentum.

Eandem sibi oblatam occasionem nacti, quo decimus expletur annus ab initis Commentariis, *Lexicon novorum vocabulorum* appararunt quo voces, quibus usi sunt in LATINITATE scribentes, continentur. Quo aptissimum novumque comparatur subsidium iis qui linguam latinam colloquendo aut scribendo adhibent; idque cononstratur linguam latinam adhuc vita vigere —cum a praeclarissimis ingeniis usurpetur—, et omnia hujus aetatis inventa resque scitu et dictu difficilli-

mas hac lingua exprimi posse, idque sapienter factum esse.

Cum autem *Lexicon* a Reverentissimis viris Tondini et Mariucci verba tantum referat quae in Commentariorum scriptis his annis prodierunt, praecipua eorum laus in accurato et diligenti labore posita est et in perspicuo eminentique exemplo quod ex tam egregiis in LATINITATE scriptoribus splendet atque in eos, qui sermonem latinum excolunt, derivatur.

Quod si rem penitus perquiramus, eandem in novis adhibendis nominibus viam reperiemus qua ab initio usi sunt clmi. viri qui LATINITATEM condiderunt et his decem annis sunt moderati: eundem scilicet profluentem verborum ambitum quo rem unam significant, ac saepe, in multis propositis vocibus, illa desideratur quae omnium facillima et clarissima esset: ut in vocabulo *aeroplano* —ut pauca afferamus exempla— viginti quinque referuntur voces, *aëroplanum* tamen deest; sub v. *calcio* (*gioco*) octo sunt voces, neque verbum est de *pediludio*; *dirigibile* (=“aëria, aërea navis”) nullo pacto ab “aëroplano” distinguitur; sub voce *sottomarino* octo sunt novae appellationes quin *submarinum* navigium proponatur [nam si Tullius et Caesar de “*transmarinis*” navibus loquuntur, cur nos technicum nomen *submarinum* adhibere nequeamus?]; duodecim sunt voces ut “*currum automobilem*” designemus...

Ex quibus efficitur tantam verborum molem in unam alteramve vocem quasi technicam deduci oportere, nisi linguam latinam obscuritate obrui sinamus eamque nimium captu difficilem iis qui legunt nobisque colloquuntur, efficiamus.

Quae tamen non clarissimis auctoribus adscribimus —cum ipsi aliorum tantum in unum collegerint verba—; sed ut difficultates, quae ex nimio verborum ambitu enascantur, perspiciamus, et aliam, si fieri potest, viam insequamur latinitati minime repugnantem nostraeque aetati, quae rebus verbisque magis concretis delectatur,

paremus. Quod cumus. vir Tondinius in commentariolo nuper in **Latinitate** (I lib. 1965, pag. 12-24) vulgato ipse effecit multaque novavit verba aut ampliore ditavit sensu in novas res vetera vocabula derivans. Ex qua agendi mutata norma et nova oritur lux et nova via in quam multi libenter ingrediamur.

Opusculum indice locupletatur, quo voces hispanicae, gallicae, germanicae, anglicae exprimuntur, quibusque viri aliarum nationum nomen italicum in **Lexico** expeditius inquirere possint.

Jos. M^a MIR, C.M.F.